




~~26.a.7.25~~




10

5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18

18079-11



~~26.a.7.29~~



Bibliothec. Colleg. Stanat. Soc. Sepu.


R. 2607 B. 2

CASTRUCCI
BONAMICI
COMMENTARIORUM

(1)

Colleg. D E Gran. Soc. Scif.

BELLO ITALICO,
LIBER III.



LUGDUNI BATAVORUM.

EDITIO PRIMA.



clb cl cc li.



CASTRUCCII BONAMICI

Commentariorum de Bello Italico

LIBRI TERTII

A D

DUCEM
SENATUM

P. Q. C.

UNIVERSOS REIP. GENUENSIS

PRÆFATIO.



UM in Galliam
Cisalpinam iter
facerem, Genuamque venissem,

qua in Urbe permulta acciderant eorum, de quibus ego scribere constitueram, & ibi essem a VOBIS P. C. honorificè, liberaliterque tractatus, variè sum equidem affectus, maximamque animo voluptatem, atque uno tempore molestiam cepi. Nam & venisse ad homines, qui in summa generis nobilitate nihil de morum benignitate remitterent, perquam jucundum videbatur, & eorum ipsorum hominum debere facta, consiliaque ita explicare narrando, ut unius haberetur ratio veritatis, erat sane molestissimum. Quamquam enim multa a Vobis acta esse fortiter, ac sapienter in illis Reipublicæ tenebris antea etiam intellexissem,

quam vestram essem humanitatem expertus, non inficiabor tamen multa item a multis inculcata fuisse mihi, quæ si fidem illorum factorum convellere omnino non poterant, addubitare quidem certe cogebant hominem in vestris adhuc rebus peregrinantem, vehementerque vereri, ne, si omnia dixisset, minus gratus, si quædam reticuisset, nimis obsequens videretur. Quæ me dubitatio cum diu, multumque anxium, ac sollicitum habuisset, vicit tandem, qui vincere profecto debebat, amor veritatis, cujus quidem in historia præsertim conscribenda tanta esse vis debet, ut eam quacumque ratione infuscare flagitium, obruere autem

scelus etiam sit. Itaque asseverare possum firmissimè hoc animo me ad GENUENSIVM res cognoscendas accessisse, ut eas, si a virtute profectæ essent omnes, libentissime scriberem, sin minus, scriberem tamen, eorumque benignitatis memoria nihil adeo de veritatis cura detraberet, ut multum etiam adderet diligentia, & cautionis, ne quid in nostram narrationem per causam irreperet officii, quod videri posset assentatione, aut gratia depravatam. Sed ego de GENUENSIBUS diligenter, attentèque cum cogitarem, quærerem omnia, non crederem omnia, nihil sanè reperi, esse ab illis proximo hoc Italico bello cogitatum nisi summo consti-

lio, nihil susceptum, nisi fide præstanti; nihil denique actum, nisi virtute singulari; atque omnia ita esse nota omnibus, atque testata, ut ea mihi scribenti magis interdum veniat in mentem vereri, ne propter ingenii mei tenuitatem imminuta, quàm dubitare, ne propter benevolentia studium amplificata esse videantur. Quamobrem gravissima liberatus molestia, gaudeo P. C., magnificèque lator, oblatum mihi tempus, in quo grati animi mei pietatem Vos agnosceretis, incorrupti fidem historici nemo desideraret. Non enim esse arbitror, aut tam injustos, GENUENSIVM qui fuerunt hostes, ut urgere calumniis velint, quos per-

secuti sunt armis, aut tam insanos, qui sunt invidi, ut vocare audeant in dubium, quod exploratum omnibus, certissimumque est.

Meorum verò laborum si qui sunt obtrectatores, quos homines jejunos, atque ineptos ne summis quidem scriptoribus defuisse video, accusent ii me licet ut rudem, ut inelegantem (nihil enim impedio) ut mendacem autem, atque infectum studio partium jure nunquam certe accusabunt, cum libertatem in scribendo meam acerbius etiam, quam oporteret, reprehensam esse omnes sciant, ego senserim. Sed nullæ sunt simultates, nulla præmia, non spes, non metus, qui possit constantem hominem, atque

ingenuum a proposito deterrere: neque in Castris Borboniorum quòd fuerim, quòdque in acie steterim contra Austriacos, minus idcirco licere mihi sum arbitratus, reprehendere in Borboniis, laudare in Austriacis, quæ reprehendenda, quæ laudanda videbantur. Non enim, cum scribimus, animum retinemus armatum, aut eandem esse bellandi, & scribendi licentiam existimamus. Nam militi, si adversus hostem ferocius sese gerat, etiam laudi datur, cum sit historico turpissimum, non dicam adversario maledicere, sed paulo scribere cupidius. Maximè quidem vellem, ut mea qui legunt, animo legerent eodem quo ego scripsi, neque in scri-


ptorem culpam conferrent, quam ipsi sustinent. Etenim dum nimis favent, nimis invident, mentiri me, ac maledicere dicunt, non quòd ita sit, sed quòd ad libidinem non scripserim ipsorum, eorumque aut hostes laudaverim, aut amicos reprehenderim. Qua in re non illi studium, aut libertatem meam coarguunt, sed stultitiam, atque insolentiam indicant suam; & cum iidem me cupidum, iidem liberum dicant, est certe quòd suspicer esse me in utroque moderatum. Equidem, ad libertatem quod attinet, eam neque immoderate exercui, quod arrogantis erat hominis, neque fregi serviliter quod erat abjecti, idque unum co-

natus sum, & mihi videor perfecisse, ut omnia liberè, nihil scriberem contumeliosè in quenquam.

Quod si quis est, qui, dempta etiam contumelia, ne innocuam quidem ferat in scriptore libertatem, ne Principum videlicet fama, potentiaque ledatur, is mea quidem sententia vehementer, in eoque ipso errat, in quo causa, dignitatieque Principum caveri maxime putat. Sublata enim libertate, generosa extinguuntur ingenia, atque ejusmodi extinctis ingeniis, historia aut nusquam audet emergere, aut infuscata sordibus adulationis contemnitur statim, & jacet; ipsaque propterea Principum fama, qua præclaris rerum gestarum manu-

mentis innititur, aut turpis, aut nulla omnino est. Potentia item illorum non modo non leditur libertate scribentis, sed etiam confirmatur. Nam cum propter copiam, atque affluentiam rerum omnium nonnulli Principes, humana natura vitio, nimium sibi indulgeant, multosque ob eam causam circa se habeant assentatores viles, imperitos, callidos, longe ab illis perterrita refugit veritas; cujus ignoratione imperia existunt sæva, ignava, inimica virtuti, plena turpitudinis, plena calamitatis. Una est historia libere scripta, quæ repugnantem quasi veritatem in Principum conspectum audeat adducere, eosque docere, quæ sint officia diligentis,

Et moderati imperii; quibus officii manet vis dominationis firmissima, commemoratio nominis sempiterna. Quæ duo si tueri Principes volunt, ut maxime debent, excitent oportet præmiis, non coercant pænis, fama, imperiique eorum veluti custodem, historicam libertatem. Cujus quidem libertatis P. C. nihil est, de Vobis cum scribo, quod me pœniteat, nihil quod Vos pudeat. Gratissimum enim mihi, quas ostendistis in liberanda Patria vestra virtutes usurpare scribendo, cum in eo simul possim Et veritati, ut antea dixi, servire, Et pietati satisfacere erga Vos mea: Vobis porro honorificentissimum est mandari liberè scriptis quæ multa,




Et præclara pro ejusdem Patriæ salute, ac dignitate gessistis, ut, non solum eorum hominum, qui nunc sunt, testimonio, sed etiam eorum, qui nascentur, judicio comprobentur. Illos pudeat historiæ, qui bella aut iniqua susceperunt, aut turpiter administrarunt: Vobis nunquam fides, nunquam fortitudo, nunquam animus, nunquam consilium defuit, ne tum quidem cum omnia deesse videbantur. Nam cum essetis præter jus oppugnati, præterque fas deserti, a quibus minime par erat, cumque totius itali impetus belli ad mœnia vestra constitisset, ita, prementibus tot undique malis, necessitati parvistis, ut nunquam dignitatis oblivisce-

remini: cum autem res ipsa, et quasi naturæ vox populum ad arma vestrum impulisset, qui vexari, ac diripi tacitus nollet, primum quidem motum fortuna subitum, ac vehementem ratione quadam gubernastis, ut neque constantiæ, neque Reipublicæ deessetis; deinde cum populi Vos salus, quæ suprema optimis Principibus lex esse debet, ad bellum traheret necessarium, id ita gessistis, ut omnis oblii periculi, unius memores libertatis videremini. Quo in bello tantum virtute, sapientiaque præstitistis, ut qui causa eratis, Marte etiam superiores essetis, fueritque consilium magis vestrum, quam consilii laudandus eventus. Non quin fuerit ille secundissimus, sed

quia prosperi eventus plerumque fortuna, semper virtuti præclara consilia tribuuntur. Neque verò, quicumque belli eventus futurus fuisset, non eadem semper fuisset rerum a Vobis gestarum laus, non eadem Nominis gloria GENUENSIS. Nullis enim unquam adversis virtus obruitur, quin etiam sua interdum vi erecta frangit adversæ impetum sortis, eaque præstat ipsa per se incommodo accepto, quæ ne ab incolumi quidem fortuna præstari posse videbantur. Id quod si unquam alias, in vestro certè bello victoriaque apparuit; quæ quidem victoria non casus temeritate, sed animi, consiliique vestri magnitudine parta est. Nam ferocientem armorum insolentia plebis fœ-

cem continere, eandem hostium re-ditu dejectam excitare, Sociis præsidium, Civibus afferre salutem, hostibus ipsis egregiam in fœdere fidem, singularem in bello constan-tiam ostendere, hæc tanta, ex quibus victoria illa extitit admirabilis, non profecto incerta, volubilisque fortune munera, sed fructus fuerunt magnæ cujusdam, & corroborata virtutis. Quod si qui secus existimant adhuc, ii, ut non sint nimium pertinaciter GENUENSIBUS insensi, qui cum virtus emineat, atque appareat, fortunam malint admirari, e quibus maxima illa res orta sint causis, ignorant quidem certe. Equidem ego, antequam Vos penitus nossem, & mirabilia quadam de



rebus vestris nunciarentur, non tam primum (liberè ut, quod sentio, dicam) sapientiam sum vestram, quàm felicitatem admiratus, adeoque erant ardua, incredibilia, quæ tentata a Vobis, gestaque dicebantur, ut exitum illum formidolosi belli optandum potius, quàm sperandum fuisse judicarem. Postea verò quàm vestram Urbem ingressus, vestrorum Hominum mores, institutaque perspexi, sermones audiui prudentes, graves, auctoritatem Senatus, Populi obsequium, nihil arrogans in Nobilitate, nihil in Plebe contumax, atque omnia plena justitiæ, mansuetudinis, diligentie, equitatis, concordie, fortitudinis cognovi, tum autem non tam ego Vos felici-

ces, quàm fortes, & sapientes putavi, atque existimavi magis esse Vobis gaudendum quòd illa acciderint, quàm mirandum cæteris quòd ita acciderint. Debebat enim in magno etiam fortune incursu stare Respublica tantis fulta virtutibus, neque ullum ei a naufragio periculum esse poterat, cum tales ad gubernacula Viri tanto consilio, & magnanimitate præditi sederent. Atque animi magnitudo, difficillimo belli tempore, ita perspecta est, ut obscura esse non possit: consilium verò eò magis laudandum, quòd difficilius est cavere omnia, & nihil timere. Sunt enim qui timiditati, atque ignavia suæ moderatōnis & prudentiæ nomen inane prætendant

Verum nihil est, quod vehementius Principibus obsit, quam posse impunè contemni, nihil quod in his contemnatur impuniùs, quam ignavia ipsa, quæ nervos elidit virtutis, pacis, bellique artes extinguit subitam interdum perniciem, certam semper infert infamiam. Quis enim eos Principes aut omnino liberos ducat, qui otium ita sunt amplexi, ut omnia perferant turpissimæ quietis causa? Sed ferant hi debitam hanc inertiae suæ pœnam, ut prætereantur in historia, qui nihil historia dignum gesserint. Vos autem P. C. dignissimi sanè estis, quorum sit in literis nomen illustre atque magnum, cum non solum ad tempus maximam Reipublicæ vestræ utilitatem attuleritis, sed etiam

ad exemplum, ut quicumque posthàc Vobis nocere voluerit, nullam esse intelligat apud non timentes minantis auctoritatem neque facile nocere iis existimet, hoc animo quos esse vidit, ut nullam neque faciant, neque patiantur injuriam. Scribatur igitur tantarum rerum historia; maneat fama defensæ, maneat exemplum Patriæ defendendæ: neque erit, opinor, quisquam tanta aut inscitia, aut invidia depravatus, ut, hunc tertium de Bello Italico Librum quod Vobis quasi consecraverim, quodque ejus libri a principio res Vestras dilaudaverim, fidem idcirco, vel prudentiam desideret meam. Nam librum cui potius donarem, quam Vobis, qui libro ipsi materiem dedistis

uberem, atque excellentem? res autem quanta illa fuerint, ipsa declarabit luculentius historia; in historia denique earum conscribenda vestrorum ego Civium P. C., Sociorum, etiam hostium conscientiam testor, omnia me veritati, nihil gratiae dedisse.



CASTRUCCII BONAMICI
 COMMENTARIORUM
 DE
 BELLO ITALICO
 LIBER TERTIUS.



IMPERATORE in Germaniâ creato Francisco Lotharingio conjuge, & Borusco bello ingenti Silesiæ totius jacturâ composito, alios in Italiam duces immittebat Theresia Austriaca, alios exercitus; neque tot fatigata, deterritave adversis multò ala-

A

rior

rior ad Italicum bellum duabus magnis, gravibusque domi curis liberata confurgere videbatur. Quibus recreatus nunciis Licestenus intra Novariæ Sessitisque annis præsidia, quò Borboniorum impetus declinans confugerat, tenere se jam non poterat, & reliquias, quas habebat exercitus copiis, adaugere, quæ totos ex Germania dies confluere Mantuam dicebantur, iisque Mediolanensem recipere provinciam meditabatur. Sardinia item Rex minus esse animo sollicito cœperat, adventantibus Germanorum auxiliis. Itaque, renovato bello, Camposianum statim colloquium diremere, pacisque causâ venientem ad se ex Gallia Comitem Malibojum suis excedere finibus jusserat, nequam daret Austriacis immutatæ voluntatis suspicionem. Quamquam non defuerint, qui collo-

colloquium omne temporis causâ, non dissentientibus Britannis, quibus unis Sardinia Rex confidere videbatur, institutum, neque verisimile dicerent esse, ut iis Sardinia Rex conditionibus stare voluerit, quæ, dimisso Oneliensi tractu, & Philippi in Italia regno constituto, præcipuum illud suum terrâ, marique amplificandi imperii consilium si non frangerent, retardarent quidem certè. Sed sive ex animo factum, sive simulatè illud fuerit (in animis enim hominum, maximèque regum multæ sunt latebræ, multi recessus) ad ejus certè colloquii, pacisque mentionem ita Galli obtorpuerant, ut indormire bello, atque hosti viderentur. Ille autem nunquam non vigilans, & temporibus imminens Hastam subitò Pompejam, uti superiore libro demonstravimus,

4 DE BELLO ITALICO,
cæperat, alienâque lætus discordiâ,
quæ naturæ dissimilitudine, & tacitis
alta suspicionibus inter Hispanos, Gal-
losque serpebat in dies latius, non
accepta solum incommoda sarcire, sed
celeriter majoribus utilitatibus sanare
sperabat.

At Borbonii tectè primum inter
se, deinde apertè, graviterque diffide-
re cœperant. Erant Hispani, repu-
gnantibus vehementissimè Gallis, Me-
diolanum profecti, & contrà quàm
erat in concilio de communi senten-
tiâ constitutum, Mediolanensis arcis
oppugnationem urgebant: quæ res,
& offensionem illis non mediocrem
ad socios afferebat, intempestivam de-
tegendero cupiditatem, & nimium di-
strahendo vires, infirmiores reddebat
ad resistendum hostibus. Sed nihil
commovebantur Hispani, Omnia om-
nibus

LIBER TERTIUS. 5
nibus viis ad oppugnandam arcem
necessaria Mediolanum conferebantur:
jamque, aggere jacto, collocabantur tor-
menta; neque minus interea duces,
præfectique copiarum intrà tecta Ur-
bis recepti scenis, ludisque oblecta-
bantur, prorsus ut videre esset, &
belli apparatus, & otii deliciis ean-
dem fremere Urbem, ac lascivire.
Posteà verò quàm Camposiani collo-
quii certus increbuit rumor, Gallica-
rumque ad Hastam Pompejam co-
hortium deditio non sinè obscuro
quodam consilio, & quasi prævarica-
tione, facta esse dicebatur, tum autem
prodi se a Gallis, & circumveniri
Hispani existimantes Alexandrinæ arcis
obsidionem repentè dimiserant; veriti-
que uno tempore & sociorum, uti
quidè ipsi videbatur, infidelitatem,
& hostium adventum a Mediolanensis
item

item arcis oppugnatione tormenta deducta omnia, in navesque subito undique contractas imposita secundo flumine, cæteraque terrestri itinere impedimenta Ticinum summiserant, eoque Philippus ipse, & Dux Mutinensium, Gagiisque proficisci quamprimum cogitabant, in hisque omnibus rebus consilia, copiasque a Gallis sejungere velle videbantur. Atque hi deferi se ab Hispanis cum viderent, ne superfluentibus Austriacorum copiis soli objicerentur, neu Genuâ, Galliâque Narbonensi intercluderentur, omni circa Tanarum, Padum, Bormiamque amnes relictâ regione, Novas sese versus raptim receperant.

In Hispaniâ autem propter invidiam Camposiani colloquii malè Galliaudiebant, adeout Rex ipse subitâ incitatus irâ, & Reginae uxoris admonitu,

nitū, non satis animadvertens quantum rem, quamque alieno tempore moveret, a Gallis discedere fociis tam ambiguus, novasque experiri amicitias constitueret, eâque de causâ Hieronimum Grimaldum Genuensem in excogitandis, gerendisque rebus prudentem hominem, atque alacrem in Germaniam cum mandatis mitteret, quæ Regi maximè Sardinia officere, atque obstare dicebantur. Erat Grimaldus, Aranquesiano confecto fœdere, legatione functus Reipublicæ suæ, cui cum inservire se posse existimaret, si quæ Viennæ agenda erant, quæque ad Italiam, atque ad Rempublicam ad eò pertinere videbantur per se potius, quàm per alios agerentur, susceptâ legatione, statim, ut erat iussus, profectus est. Sed ea quoque legatio nimio ambitionis studio suscepta,

pta, ut multa alia Hispanorum, frustra fuit. Nam neque liberum erat Reginae Ungariae cum Hispanis adversus Sardiniae Regem consentire, incipientibus Britannis quos tamen Sardiniae Regis commodis acerrimos videbat esse fautores; neque facile Hispaniae Regi initam cum Gallis societatem, multisque necessitudinis, atque utilitatis nominibus coagmentatam subito dissolvere. Illa etiam Reginae Ungariae infederat suspicio, simulata legatione, haec ab Hispanis mandata interponi, quo aut suos ad Italicum bellum impetus remorarentur, aut Gallorum animum Camposiano colloquio sopitum, alterius aemulatione colloquii repungerent, atque excitarent.

Genuenses porro, cum nova quadam in Italia misceri, & concitari mala

mala viderent, diesque advenisset, quo die Principem Civitatis (Ducem appellant) fieri ab ipsis in biennium per leges oportet, Franciscum Brignolium-Salium, quem missum fuisse ad exercitum summo cum imperio demonstratum est, Ducem crearunt, perspectae domi, forisque virtutis hominem, ut, si qua esset formidolosi temporis tempestas oblata, haberet in singulari viro magnum Respublica praesidium. Ita igitur omnia sunt subito mutata, ut trepidare, ac fugere Borbonii inciperent, qui vincebant; in spem autem victoriae venire audent Austriaci, qui fugam sese haecenus, & praesidiorum latebris occultaverant. Maximis enim coactis copiis alacres, ac fiduciae pleni altera ex parte Licestenus Viglebanensem agrum parato, atque instructo exercitu tene-

10 DE BELLO ITALICO,
bat: alterâ Berenclavius, domitis il-
le Boiis, direptisque nobilis dux
cum x. hominum millibus, quos jam
flumen Adduam transduxerat, expu-
gnato in itinere Codoneo, quo in
loco præsidium Hispani habebant; &
Lovestenius Laude occupatâ Pompejâ,
fufisque aliquot, & fugatis ad Meli-
gnanum Hispanis, instabat: tum
Brounius, & Pallavicinus Mantuâ pro-
fecti in Parmensem agrum irrumpere
conabantur, partemque hispaniensis
exercitus, cui Castellarensis præerat,
a reliquis copiis interclusam distine-
bant. Quibus rebus perturbatus Phi-
lippus tres modò menses ex mediola-
nensi regno lætatus maturavit Me-
diolano discedere, Ticinumque con-
tendit, cum levis armaturæ equites
nonnulli Austriaci, Lambro amne su-
perato, extremum ejus agmen malè
habe-

haberent, & carperent. Sed Ticinum
cum esset ventum, castra Gagiis apud
Chartusianos habere eo consilio insti-
tuit, ut ad Padum, Placentiamque
oppidum aditum haberet expeditum,
utque simul Fulvii Forum respiceret,
cui Sardinia Rex expugnato Casali,
propius jam imminebat.

Magnopere etiam hortari per li-
teras, nunciosque, & suadere Castel-
larensis non desistebat, denique im-
perabat, ad se quamprimum ut ve-
niret, ne hostes, quorum in dies co-
piæ augebantur, illius iter impedire,
seque ab eo excludere possent: idque
valde ad communem salutem pertine-
re arbitrabatur, cum, distractis viribus,
neque Castellarensis satis firmus esset
adversus hostes, neque partem exer-
citus validam negligere ipse posset.
At Castellarensis aut suâ nimium vir-

12 DE BELLO ITALICO,
tute ferox, aut eâ fortassis gratiâ fretus, quâ plurimum apud Reginam Hispaniæ valere dicebatur, vehementer Gagium contemnebat, & parere homini recusabat, omniaque ejus consilia criminabatur, remorabatur; id quod erat bello, summæque rerum adversarium maximè. Itaque a Gagio aperte dissentiens a Parmensi, & Guardistallensi agro non discedere perseveravit.

Brounius intercludi Castellarenses a reliquo Hispanorum exercitu posse sperans, Nadastium mittit, qui in sinistrâ Padi ripâ oberrans nullo certo itinere ludificet hostem, pontemque ad Casale majus simul et efficere. Quæ dum Nadastius exequi parat, Hispanorum stationes, ut omni destrâ fluminis parte erant dispositæ inopinantes ab Austriacis nonnullis levis armaturæ, qui Padum silentio rati-
tibus

LIBER TERTIUS. 13
tibus transgressi in eas impetum improvisò fecerant, opprimuntur. Brounius interim ad Burgumfortem effecto celeriter ponte, suisque transductis copiis Luceriam occupat; tum inde Lucius, & Novatus Austriaci exercitus decuriones Rhegiolo, Nadastius autem Valterio potiuntur: quibus occupatis locis Guardistallum, quod erat medium, circumvallare Austriaci, atque oppugnare, allatis tormentis, instituant.

At Coraphæus præfectus castrorum Regis Neapolis, qui, ut antea diximus, oppido præerat, conatus est, eruptione factâ, oppidum defendere, eique ad auxilium ferendum Castellarensis advolarat cum omnibus copiis. Sed Nadastius uno fere tempore, & compulsò in oppidum Coraphæo, & primo Castellarensis agmine ad Cru-
stulum.

stulum annem fugato, illum quidem, desperatis auxiliis, in deditioem venire, hunc, amisso Guardistallo, sese Parmam festinanter recipere coegit.

Quibus rebus Gagio nunciatis, omnibus consiliis antevertendum existimavit, ut Castellarensi subveniret, ne tanta exercitus pars tam longè abstracta in potestatem hostium veniret. Itaque Ticino cum omni statim exercitu profectus Placentiam venit, magnisque itineribus progressus, subsistere ad Florentiolam cogitur, propterea quòd assiduis aucta tempestatibus Trebia pontes interruperat, partemque exercitus intercluserat: cujus moræ beneficio usi Licestenus, & Berenclevius suos & ipsi exercitus educunt, properantque Gagium præoccupare, si esset in perficiendis pontibus periclitandum, ut priusquam ille Tarum annem

annem transiret, ipsi Brounio adjungerentur. Quo facto, & Pallavicino, qui Castellarenses observaret, cum iii. equitum, peditumque millibus, & Pyrochitrophorùm centuriis sex ad Parmam relicto, copias ad Tarum omnes contrahunt.

Gagius refectis pontibus, expeditoque itinere ad vicum pervenit, qui Sanguinaria dicitur; ibique non longe a Taro castra facit, loco non satis quidem idoneo ad commeatus parandos, sed temporis brevitatis, & rei cogebat necessitas. Postero die cum paucis equitibus ad exploranda loca profectus adversam fluminis ripam obtineri ab hostibus conspicatur: numero esse armatorum ad xxx. millia; Tarum autem nivibus solutis, & continentibus adeo pluviis crevisse, ut propter aquæ vim, rapiditatemque annis.

annis omnino perficiendi pontis facultatem non daret. Itaque necessario iter supprimit, eratque uterque utriusque exercitus in conspectu, neque alter alteri nocere poterat, prohibente flumine: & crebris Gagii literis Castellarenfis incitabatur, quoniam primo præcepta, monitaque sua sprevisset, ut, cognito saltem periculo, Parmam relinqueret. Enimvero ille relicturum se negare, neque ullo pacto commissurum, ut Hispaniæ Reginæ urbs clarissima hostibus indefensa prodatur; in eoque perseverabat. Sed pertinaciam ejus fregit tandem Philippus literis severius scriptis, quibus placere sibi demonstrabat, ut, nullâ interpositâ morâ, quamprimum Parmâ excederet.

Quibus acceptis literis Castellarenfis, ad speciem præsidii cum paucis

cis militibus Carolo Lanfranchio Protrib. mil. relicto, in noctem ipse coniectus cum reliquis copiis omnibus celeriter e conspectu urbis Parmæ silentio discessit. Profectionem ejus primo non senserant hostes, postea cognitâ re, equites peditesque miserant levis armaturæ, qui consequerentur, & deprehensum in itinere opprimerent. Turrim vix dum ille Mulaetianam attigerat, cum repente circumfunduntur undique hostes: omnes obsidentur viæ. Loca suberant aspera, saltuosa, omniaque erant nive, gelluque oppleta; cælum cohortis tempestatibus fœdum, nullum auxilium, ne spes quidem; fames urgebat. Tantis objectis difficultatibus non defecit animo Castellarenfis, sed virtute, ac perseverantiâ militum suorum summotis hostibus, factoque per

C

Apua-

Apuanos montes itinere difficillimo, Spediam octavo tandem die venit, magnâ & jacturâ suorum, & admiratione hostium, qui ex tantis emerfisse illum angustiis persuadere sibi compertâ vix re poterant.

Gagius, postquam conjunctas, hostium copias, egressumque Parmâ Castellarensis cognovit, a Sanguinariâ discedit, Placentiamque eodem, quo venerat, itinere exercitum reducit, castraque ad oppidum habere, & communire, pontemque in Pado facere instituit.

Captâ hostes Parmâ, neque Castellarensis iter impedire nostrorum virtute repulsi, neque regredientem insequi Gagium tempestatum, & fluminis magnitudine detenti potuerunt. Itaque necessario morabantur. Tandem, transducto Tarum exercitu, ad
hostem

hostem proficisci constituunt, sive illum in muniendis castris occupatum, & nondum Castellarensis adventu confirmatum adoriri, sive obsidione premere possint. Namque illi horum alterutrum spectare maximè videbantur. Sed quominus adorirentur, assidui prohibuerant imbres, Gagique effecerat solertia, qui, & pontes interruperat omnes, &, expugnando Codoneum, illos diutius etiam impeditos tenuerat. Pignatellius enim legatus de exercitu hispaniensi cum parte copiarum missus ad occupandum Codoneum, cum ad Lambri, & Padi confluentem pervenisset, primùm quidem pedites, equitesque nonnullos Austriacos, qui ibi erant in statione, in fugam dedit, in ipsum deinde Codoneum vicum, quò sese receperant fugientes, impetum celerrimè progressus

sus fecit. Resistebant acerrimè hostes, domiciliisque occupatis repellere nostros confidebant. Sed cum nostri audacter succederent, allatisque securibus portas perfringerent, domosque ferreis palis subruerent, loco cesserunt, defensorumque pars in ipso certamine interfecta, fugataque, pars, Codoneo capto, capta est, in hisque Grosius fuit dux eorum. Quo facto Pignatellius sese ad Gagium in castra recepit.

Nostros ad Placentiam castris communitis, perfectoque in Pado ponte, relinquebatur Austriacis nihil, nisi ut obsidione Gagium premerent. Idque accidit.

Oppugnabatur interim Forum Fulvii a Durlacensi Principe, eodemque Trib. mil. Regis Sardiniae, & defendebatur egregie ab Ascoisquio Hispa-

Hispaniensis exercitus Decurione, qui Philippi jussu oppido præerat, præsidiumque ibi Hispanorum habebat, & Helvetiorum de exercitu Neapolitano. At Malibojus multum ad bellirationem interesse existimans, prohibere, ne in tantâ rerum perturbatione oppido potirentur hostes, firmo, atque opportuno, simul distineri profectioe suâ hostium copias posse sperans, cum omni exercitu suo, quem etiam cohortibus Hispanis ii. Dertonâ deductis, & Genuensibus vi. adauxerat, relictis Novis, superatoque flumine Bormiâ, fugatâque ad Castrum Bajanum Subalpinorum legione ad Forosfulviensem oppugnationem disturbendam omni celeritate, & studio incitatus ferebatur. Sed accidit perincommodè, quod tantam Maliboji diligentiam, Præfectique constantiam com-

22 DE BELLO ITALICO,
commota elusit ab Helvetiis seditio
magno rei militaris flagitio, qui sive
spe sollicitati, sive metu perterriti, se-
cessione factâ, sese, quodque ipso-
rum erat custodiæ attributum, pro-
pugnaculum hosti dederunt, eodem-
que, tanto illato incommodo, uti ar-
cem traderet, hominem strenuum,
& paratum defendere se Præfectum
ipsum compulerunt. Quâ re nunciatâ,
Malibojus pedem retulit, conceptam-
que ex tam inopinatâ deditioe iram
in Statellites effudit, quorum ex iti-
nere Castellum expugnatum dirruit,
atque in miseros Irienses, quos gran-
dem sibi, præsentemque numerare pe-
cuniam præteriens iussit.

Jam Castellarensis a Spediâ pro-
fectus, & Genuensium diligentia,
commeatuque adjutus in Gagii castra
pervenerat, & summissus a Malibojo
cum

LIBER TERTIUS. 23
cum xii. Gallorum, Hispanorum, &
Genuensium cohortibus Mirapicensis
adventabat, auctisque copiis repugna-
bat audacter Gagius, & cum equiti-
bus, quorum magnum, & delectum
habebat numerum, magis liberè vaga-
batur, agrosque trans Padum integros
habebat ad copiam commeatus, præ-
damque tollendam. Austriaci, præsi-
diis nostrorum Uxolengo, & Mon-
teclaro rejectis, Ripaltam aggrediun-
tur. Ripalta vicus est a Placentia
longè millia passuum octo in ripa
positus Trebiæ, arce munitus, atque
apud Gallos Cisalpinos Landorum do-
minatu, & Ascanii Sfortiæ Cardinalis
fugâ, & deditioe insignis. Castellum
ibi est aquæ fluminis Trebiæ, quæ
depressis derivata fossis Placentiam us-
que deducitur, eratque magno Hi-
spanis usui. Eò majore tormentorum,
& mi-

24 DE BELLO ITALICO,
& militum vi arcem hostes aggre-
diuntur, duce Berenclavio. Præsidia-
rii milites omninò a tormentis impa-
rati, quòd non tantæ esse arcem op-
portunitatis crediderant, ut defendi
tormentis oporteret, cum ad horas
octo fortissimè pugnassent, crebris
tandem confecti vulneribus sese, atque
arcem dedere coguntur. Illam statim
Austriaci, deditione factâ, diripiunt.

Omnibus ad Trebiam captis lo-
cis, quæ dare aliquam Hispanis com-
meatus facultatem videbantur, & La-
zariano occupato communitoque (sub-
urbanum quod erat Alberonii Cardi-
nalis, hominis utrâque fortunâ notif-
simi, atque abest a Placentiâ mille
circiter passus) premere acrius Licte-
stenius Gagium a fronte, atque a
tergo, ejusque castra, collocatis tor-
mentis, ollisque jactis incendiariis, ip-
sam

samque divexare Placentiam conatur.
Gagius, quòd arctius a fronte, atque
a tergo premebatur, eò latius in
Transpadanam regionem pabulatum
equites mittebat, per quos commeatum
omnem diligenter conquistum com-
portabat. Multum etiam ut esset fru-
menti, pabulique provisum, & con-
vectum curaverat, multarumque rerum
facultates munitissimus ad Padum pons
præbebat, quem cum interrumpere il-
li sæpe tentassent, nunquam potue-
rant. Quanquam etiam contignatio-
nem ejus Padus interdum concuteret
nimiis intumescens tempestatibus. Tan-
ta erat operis firmitas. Adactis præ-
terea ex oppidi muro telis, & prote-
gebatur pons, & ipsi vexabantur ho-
stes, qui totis diebus munitiones pro-
ferre, castraque castris convertere co-
gebantur. Ita alter alterum observa-
bat,

bat, magnâque vi in occupandis locis, præsidiiſque uterque utebatur: Licteſtenius, ut quàm anguſtiſſimè Gagium contineret; Gagiſ, ut Licteſtenium eluderet, & quàm poſſet latiſſimè pabularetur. Crebræque ob eam cauſam velitationes fiebant; id quod etiam neceſſe erat accidere in tantâ exercituum propinquitate, atque animorum contentione.

Valebat Gagiſ equitatu, loco præſtabat, defendebatur item pontis, atque oppidi munitione, adeo ut neque ad deditiōem inopiâ, neque ad prælium oppugnatione cogi videretur poſſe. Frequenter etiam ex perfugis audiebat valetudine uti hoſtes non bonâ, propterea quòd in locis gravibus, atque apertis calorū intoleranda viſ, & reſtagnantium ætus aquarum corpora moverant eorum, Caſtrenſesque
mot-

morbos vulgaverant; a quibus quidem afficiebantur noſtri minus, utpotè quos teſta urbis atque umbræ recreabant; his rebus adductus Gagiſ bellum ducere parabat. Intelligebat enim maximos Auſtriacorum conatus ad nihilum recaſuros, extracto in hyemem bello, viribuſque eorum levibus præliis, morbis, eâdemque attritis inopiâ, quâ noſtrum delere exercitum ipſi ſibi perſuaſerant. Verùm erant in ipſis Hiſpanorum caſtris, qui jam famem, cæterasque obſidionis acerbitates miſerabiliter jactarent, Gagiſque conſilium carperent, patientiam ejus obſeſſionem appellando. Ille autem in ſuâ permanebat ſententiâ, deque totius belli ratione dederat ad Philippum Regem literas uberes, ac diligentes.

At Philippus Rex per Hieronymum Grimaldum de compositione
D 2 agere,

28 DE BELLO ITALICO ,
agere , instareque de conditionibus
cum Regina Ungariæ non desiste-
bat ; quam minus , quàm vellet ,
postulatis auscultare suis cum intelli-
geret , dissuadentibus apertè Hispano-
rum societatem Britannis , eique se de
Camposiano colloquio purgante per
exquisitissimas literas Rege Sardinia ,
statuit ipse summam rerum prælio
committere , sperans (proinde quasi
in Regum potestate eventus essent ar-
morum) insigni aliquâ victoriâ , aut
Reginam Ungariæ ad interpositas
conditiones compelli , aut dubios Gal-
lorum animos confirmari posse . Insta-
bat præterea uxor Regina Gallis in-
fensa , quos suis adversari consiliis ar-
bitratur , atque aliquid prius agere
cupiebat , quàm , languescente irâ , &
veteri , infitâque emergente in Gallos
benevolentiam , Philippi Regis animus
laba-

LIBER TERTIUS . 29
labaret , Noalliensis etiam Gallicæ mi-
litiæ Magistri officiis impulsus . Nam-
que hunc propter flagrantissimam apud
eundem Philippum gratiam Rex Gal-
liæ judicaverat idoneum , quem cum
mandatis de Camposiano colloquio in
Hispaniam mitteret . Recenti igitur
adhuc illius invidiam colloquii , & sti-
mulante uxore , commotus Hispaniæ
Rex scribit Gagio , Austriacos ut
quamprimùm sine ullâ dubitatione
adoriatur . Ita , neglectis imperatorum
consiliis , absentium plerumque regum
nutu bella administrantur .

Gagius , quoniam Regi parendum
erat , & quâcumque ratione pugnan-
dum , Philippi Regis de prælio man-
data ad Philippum F. attulit . Philip-
pus , quò firmior prodiret in aciem ,
omnibus ferè , quæ circum ea loca
habebat , deductis præsidiis , etiam ,
atque

atque etiam per literas suâ manu scriptas evocato Malibojo, qui prælio repugnabat maximè; cum esset, convocato concilio, conficiendi negotii dies, & ratio constituta; eos, qui aderant, hortatus est, quoniam fieret dimicandi potestas, ne usu, manuque suam, Philippique patris expectationem fallerent: Philippum certè Regem eorum virtuti tantum tribuisse dicebat, ut, cum ad opprimendos hostes temporis forsitan oportunitatem expectare potuerit, virtuti maluerit eorum, quàm temporis beneficio confidere. Hæc cum facta essent in concilio ad suam quisque exercitus partem instruendam, curandamque discesserunt.

Quo die pugnatum est, dies fuit ad xvi. kal. Quint. Ratio autem, ordoque agminis erat ejusmodi,
ut

ut Galli, qui extra Antonianam Placentiæ portam castra fecerant, in tres distributi partes dextrum nostrorum cornu obtinerent, iidemque in sinistrum Austriacorum invaderent: subsidio iis adjungeretur Aramburus legatus cum xvi. Hispanorum cohortibus: ix. item Hispanorum cohortes mediam tenerent aciem: in sinistro autem cornu reliquæ Hispanorum, Neapolitanorum, & Genuensium cohortes in tres pariter divisæ partes collocarentur. Omnes uno undique tempore, signo dato, concurrerent. Ex oppidi mœnibus, iisque munitionibus, quæ propter viam, quâ ad Lazarianum itur, productæ erant ab nostris, tormenta interim ne cessarent: quæ res, & nostros protegeret in prælium proficiscentes, & prodeuntes deterreret hostes,

stes, eorumque munitiones, & castra vexaret. Equitatus, quòd ejus inutilis opera propter intercisos fossis campos non satis tamen prudenter videbatur, ab universâ acie seclusus, atque ad omnem rei eventum paratus consisteret, eique Viävillæus, de exercitu neap. legatus præesset. Ubi ea dies venit, ad eum modum, quem diximus, copias Borbonii suas instruunt, sub occasumque solis Austriacorum appropinquare castris incipiunt. Erant Austriacorum castra tormentis, propugnaculis, altissimisque inductis aquis, fossisque munitissima, &, quòd per exploratores perfugasque cognoverant, resque ipsa ostendebat, suorum oppugnationem castrorum a Borboniis parari, suas item ipsi copias contraxerant, magnasque munitiones addiderant, ipseque Licstenius, quem

in-

incommoda valetudo multos jam dies longè a castris tenebat, rei magnitudine commotus in castra venerat, ut prælio interesset. Castellâ, quæ erant ab illis posita locis opportunis, nostri, multis utrinque vulneratis, atque interfectis, expugnant, in iisque expugnandis nocturnum omne tempus consumitur. Primâ luce in ipsas irrumpunt munitiones, exuperatisque aggeribus ad fossas perveniunt, quarum tamen quanta esset altitudo nostri nondum duces perspexerant, & ne sarmenta quidem, quibus eæ explerentur, comportari per equites jufferant, tamen earum difficilis, impeditusque transitus ardentibus studio pugnandi milites, præsertim Gallos, ad eum non tenuit, ut sese in eas audacissimè demitterent, ibique pars magna militum aut confossa telis, quæ creber-

E ber-

34 DE BELLO ITALICO,
berrima accidebant ex tormentis ad
summa fossarum labra constitutis, aut
inductis hausta aquis interiiit. Sed
nihil eâ re nostri commoti per coa-
cervata suorum corpora transgressi in
superioribus locis consistunt: jamque
Aramburus hostium munitione potitus
viginti in eâ, & sex collocata tor-
menta occupaverat: qui quidem, si
in ipso statim negotio consilium ca-
piens erepta hostibus tormenta in ip-
sorum perniciem hostium vertisset,
iisque perturbatis, spatium nostris de-
didisset confirmandi sese, accersendique
equitatus, qui auxilio laborantibus ac-
curreret, maximum certè ad victoriam
momentum attulisset; neque ipse for-
sitam multis postea vulneribus confe-
ctus in potestatem Austriacorum ve-
nisset. Eodem tempore, &, quæ in
mediâ erant acie, Hispanorum co-
hor-

LIBER TERTIUS. 35
hortes Castellum quoddam hostium
egregiè munitum, atque defensum,
quanquam sæpius repulsi, tamen ad
extremum, redintegratis viribus, ex-
pugnauerant; & eodem impetu, eâ-
demque suorum atque hostium jactu-
râ, neque minus exploratâ victoriæ
spe a sinistro cornu Gagius irruperat,
neque multum aberat, quin totis Au-
striaci castris expellerentur: cum cl.
Eugenianæ alæ dracones opportunis-
simè summissi tantâ vi in Gallos ir-
ruerunt, ut, qui incredibilem a prin-
cipio virtutem præstiterant, improvise
eorum incurfu adeo exterrerentur, ut
omnes protinus, turbatis ordinibus,
& equitatus subsidium nequicquam
implorantes terga verterent, præoccu-
patisque animis vano quodam terrore,
non ducum cohortationes, non preces
exaudirent: ipseque Malibojus, dum,
E 2 equo

equo dimisso, fugientes increpat, & gladium intentans retinere conatur, reliquorum fugâ, & tumultu abreptus pedem referre cogeretur. Quo feroces successu Austriaci milites, equitesque non negligendam sibi occasionem existimaverunt, & profligatis Gallis, confertissimo omnes agmine in Hispanos impetum fecerunt. At Gargius ubi fugere Gallos, trepidare suos, seque urgeri a fronte, nudari a dextrâ vidit, & Belgarum, atque Hispanorum Prætorianorum cohortes, quibus maximè confidebat, omnibus ferè ducibus aut vulneratis, aut occisis sustinere se diutius non posse, veritus, ne omnis circumventus deleteretur exercitus, sensim cedendo furorem repressit Austriacorum, seseque ad oppidum satis, ut in trepidâ re, quietè recepit. Biduo post cum nominatim ratio


tio confecta esset, qui numerus ex nostris fuisset eorum, qui capti ab hostibus, & vulnerati essent, & item, qui in acie cecidissent; captorum summa reperta est ioccccxv., vulneratorum iv. millia & cccclx., occisorum iii. millia & ccxx.: quo in numero ex Gallis comes Brostellius præfectus Fabrûm, Equesque Tessæus, ex Hispanis Duccæsius, & Romerius legati fuerunt, fortissimi viri. Virtius Helvetius de Neap. exercitu castrorum præfectus contrucidato corpore captus est. Atque hoc prælio satis constat excellentissimam virtutem militum fuisse, insigni autem primorum ducum imperitiâ accidisse, ut, secluso equitatu, quod unum est in præliis maximè necessarium, latera nudarentur, nullumque subsidium esset, quod summitti posset, ignoratâque fossarum
alti-

altitudine, maximum ex loci iniquitate detrimentum caperetur, fugaque propterea, & cædes militum, & totius rei perturbatio fieret.

Hâc victoriâ sublatis Austriaci tametsi ad iii. millia ceciderant, multò tamen erant alacriores ad continendos hostes, quos magno cum detrimento repulerant, omnibusque modis huic maximè rei studebant, ut pabulatione, comœatuque prohiberentur. Nostri autem præter Cremensem, & Laudensem agrum, non regio, adiutusve erat ullus reliquus ad copiam rerum necessariarum. Quibus ne intercluderentur, implicatique hærent, Malibojus, Gagiusque paucis a Placentino prælio diebus, Castellarensi cum circiter iv. hominum millibus Placentiæ relicto, ut oppidum, còque belli collatum apparatus, qui erat

erat maximus, tueretur, copias ipsi suas Padum transjecerant, intraque Lambrum, Adduamque amnes, munitis fluminum ripis, constituerant, ad Codoneumque Philippus progressus suum ibi prætorium constituerat.

Sardiniaæ Rex, post imperatas Novensibus pecunias, longo erat intervallo Malibojum insecutus, atque in magis magisque exploratam spem futurorum post Placentinum prælium ingressus, factò ad Parpanesum in Pado ponte, suoque tandem cum Germanorum copiis exercitu conjuncto, ad nostri exercitus reliquias delendas accesserat; eratque utriusque exercitus imperator appellatus summâ omnium lætitiâ, & Subalpinorum, qui ab Rege suo imperatoriam ex Vormaciensi fœdere susceptam dignitatem gratulabantur, & Germanorum, qui ejusmodi



modi copiarum conjunctione Sardinienſis denique in bello animum nudari exiſtimabant.

At apud Borbonios adverſa erant, plenaque perturbationis, & mœſtitia omnia. Infirmiſſimas virium, loci anguſtia, comœtuum inopia, magna in ducibus diſcordia, in militibus deſperatio, parum in omnibus animi, nihil conſilii: ut autem a principio belli aliud ex alio peccare non deſtiterant, ſic, pravis conſiliis ne adverſa deeſſet fortuna, aliæ aliis calamitates cumulabantur. Nam tantâ ærumnarum varietate jactatis acceſſit inopinatum ſubitò malum, omniumque maximum.

Post Placentinam enim pugnam tertio & vigefimo die mortem repente obiit Philippus is, qui primus in Borboniam familiam Hiſpaniæ regnum intulit,

tulit, & a quo nemo negaverit, aucto commercio, ſuſceptiſque bellis, ſeneſcentem propè ſub Auſtriacis Regibus Hiſpanorum induſtriam, atque virtutem eſſe commotam. Erat militarium facinorum cupidiffimus rex, &, grande ad bella incitamentum, acceſſerat uxor altera, quæ ſive Parmam patriam ſuam ſervire Auſtriacis, ſive liberos, quos ex rege ſuſceperat, privatos vivere indignaretur, omnia certè ſuperiore Italico bello moverat, & præſenti movebat, utque belli jure Carolum Neapolis, ac Sicilia regem tunc fecerat, ita nunc aliquod in Ciſalpinâ Galliâ regnum quærere Philippo conabatur. Sed novo ſub Hiſpaniæ Rege nova, ut plerumque fit, inibantur conſilia; & quanquam vetera diſplicebant, nondum tamen nova coaluerant, neque dum regni

F arti-

42 DE BELLO ITALICO,
artibus, regnandique magistris assueve-
rat Philippi successor Ferdinandus, ex
priori filius uxore, eâdemque Sardinia
Regis sorore. Interea novercam Ferdi-
nandus verbis consolatur amantissimis,
datque ad Philippum fratrem literas,
quæ bonum illum animum habere ju-
berent, omniaque æquè ab se fore
parata dicerent, atque erant a Patre.
Facta hæc esse pro tempore nonnulli
interpretabantur, ne metu perterrita
mutationis noverca cum omnibus opi-
bus ex Hispaniâ sese proriperet, neve
Gallorum amicitia Frater confusus exer-
citurum, summumque in Italiâ impe-
rium arriperet. Sed in luctu acerbis-
simo neque Elysæ tantum erat consi-
lii, neque Philippo animi, ut diffi-
cillimam, gravissimamque rem aude-
rent: & tanta est in Ferdinando Re-
ge morum probitas, ut ab omni of-
fici

ficii simulatione abhorreat, decipique
ipse facilius, quàm decipere alios
queat.

At Ferdinandi literæ poterant il-
læ quidem Philippi animum confirma-
re, exercitum non poterant: quem re-
centis prælii metu perterritum, dimi-
nutis valdè copiis, non tam inopia
præsentis, quàm futuri temporis an-
gebat timor. Jamque Austriacorum
pars Lambro, pars Abduæ appropin-
quaverat. Botta Præfectus Fabrûm
(nam Licestenus morbi causâ disces-
serat) cum xx. hominum millibus ad
oppugnandam Placentiam substiterat,
& Lazarianâ domo, munitionibusque
disturbatis, Goranum miserat, qui
cum parte equitum, peditumque le-
vis armaturæ ab alterâ Padi parte iter
faceret, repentinae nostrorum eru-
ptiones quàm diligentissimè observaret,
ac demoraretur. F 2 In

In his angustiis clamare Malibojus, deos hominesque contestans, non destiterat, iis quamprimum locis excedendum esse, &, dum vires supererent, eruptione factâ, Dertonam revertendum; quòd ibi propter loci opportunitatem neque esset commeatuum impedita subvectio, neque receptus, si quid durius accideret, adempta facultas. Quæ cum ille diceret non tam inopiæ periculo commovebatur, quàm incertâ novi Regis Hispaniæ voluntate, quem fama erat ab Italico bello, & Gallicâ societate abhorrere. Quocumquè autem fortuna inclinaret, tutum sibi, suisque in Galliam receptum dari volebat. At Gargius neque adeo rem esse in angusto dicebat, ut sit sub oculis hostium eruptionis utendum consilio tam desperato, & quod semel jam nimium malè

malè cesserit; neque hostium copias esse tantas, vulgatis morbis, & recenti etiam, quod fuit necesse, acerrimoque prælio attenuatas, ut omnia longè, latèque loca insidere, & custodire possint. Non defore pabulum, non commeatum omnis generis, quæ ut angustiora fuerint, nimiam esse istam in milite mollitiem, non posse inopiam ferre paulisper. Postremò seu manendum sit, seu proficiscendum, nihil se videre, cur temere quicquam, aut raptim agatur: & maneri sine incommodo, & perumpi etiam, si necesse fuerit, sine periculo posse; si modo tanta res temporis potius beneficio, quàm fortunæ temeritati committatur. Hæc consiliantibus eis, nunciatur, ab Germanis Subalpinisque cum duodequadraginta cohortibus, superato flumine Lambro, Laudem petri Pom-

ti Pompejam. Tum verò Malibojus, quid cunctaris, inquit, Gagi? an expectas, dum, omni aditu præsepto, omnique consumpto commeatu, aut fame intereamus, aut in contumeliam hostibus dedamur? Commemorat deinde quanto sit æstimanda momento totius exercitus, denique ipsius Philippi salus; cujus nullam, nisi in celeritate eruptionis, positam esse spem, dicit: premi jam undique, & penè teneri: quid futurum autem, Laude amisâ Pompejâ? Mirari porrò se, tantâ esse homines pertinaciâ, facere ut malint quod pœniteat, quàm videri minus rectè consuluisse: quis verò dubitet, quin pœnitere eos quamprimum consilii oporteat illius, in quo iniquiora fuerint omnia necesse est circumvallatis, fame confectis, erumpere frustra, seròque tentantibus? nam,

ne

ne erumpatur, quis audeat suadere, nisi turpissimæ idem auctor deditiois? quod ad mollitiem attinet, non esse fas cum arbitrari difficultate rerum frangi, qui mortis periculo non terreatur. Verum, inquit Malibojus, in consiliis capiendis, non quid pati miles possit, sed exitus quid rei postulet, imperatori cogitandum esse arbitror, ne aut patientiâ militum abutatur, aut agendi tempora consumat. Perseveranti nihilominus in suâ sententiâ Gagio literæ ab Hispaniâ redduntur, quæ placere Ferdinando Regi nunciabant, ut Dertonam ipse cum omni exercitu adipisci properaret. Quibus ille literis coactus rem suscipit arduam, difficilem, & in quâ peragendâ, quominus inesse consilii videbatur, hoc majore peracta animo, atque admiratione fuit. Nam cum ab hostibus penè

nè

nè circumdatus teneretur, iisque invitis, ac repugnantibus flumen esset ipsi transeundum altissimum, latissimumque Padus, tantâ virtute, ac diligentia confecta sunt omnia, ut incolumi exercitu erumpi potuerit, nisi unius temeritate legati satis in eâ re peccatum esset. Præmissus enim erat ad Tidonium amnem Pignatellius legatus, eique mandatum erat a Gagio diligenter Austriacos ne lacesseret, & si ipse lacesseretur, sustineret, quoad essent impedimenta exercitus progressa, suumque copiæ omnes iter arripuissent. At ille ubi primùm hostes conspiciatur, quorum erat xii. millium numerus, cum ipse non amplius iv. hominum millia haberet, inconsultè progressus prælium temerè committit. Malibojus, qui primo præerat agmini, incredibilique celeritate, atque animi

ma-

magnitudine intra Tidonium amnem, Parpanesumque vicum pontes perfecterat, transierat Padum, Goranum submoverat, subito ab instituto deflectere itinere, laborantique succurrere Pignatellio cogitur. Interim Castellarenfis, signo cognito profectionis, quod inter eum, & Gagium convenerat, abductisque, quæ poterat, tormentis, atque impedimentis, & tamen parte maximâ relicta, proficiscitur Placentiâ, pontem, pontisque munitiones, ollis subjectis incendiariis disjicit, sineque ullâ offensione noctuabundus ad Gagium pervenit.

Quibus rebus Bottæ nunciatis, relicto Nadaatio, qui Placentiam reciperet, mittit primò Goranum cum Pyrochitrophorûm delectâ manu, post cum equitatu Serbellonium, postremò ipse omnem exercitum subsidio adducit.

G

50 DE BELLO ITALICO,
cit. Auctis utrimque copiis atrox oritur praelium. Berenclavius effrænata homo ferociæ, & magnæ habitus auctoritatis, Austriacorum dux occiditur. Vulnerantur Pallavicinus, & Brounius, præstantissimi viri. Multi ex nostris milites, multi item cadunt duces, in his de Hispaniensi exercitu Trib. mil. Julius Deodatus Lucensis summæ spei, nobilissimâque ortus familiâ adolescens. Austriacos certa jam propè victoria, & toties fugatus hostis, Borbonios posita incitat in dextris salus, salutisque spes desperatione quæsitâ. Cum insolenter irruerent hostes, impugnarent acerrimè Galli, resque esset in summum deducta discrimen; Gagius, qui mediam curabat aciem, in quâ ipse erat Philippus atque impedimenta omnia agebantur, jussis extremi agminis militibus immi-

nen-

LIBER TERTIUS. 51
nentem morari Sardinia Regem, acceperat ipse, ut praelio intersit, laborantibusque subveniat. Longissimum erat agmen, magnaque impedimenta, iisque qui præerat ignorantia loci deeraverat a viâ. Quæ res, retardato Gagii subsidio, majoris fuit causa cædis. Irrumpit tandem Gagius, & licet equo vulnerato dejectus, afflictusque instruere aciem, inferre signa, cohortari milites, ne labori succumbant; meminerint denique illo die, illâ horâ aut moriendum ipsis, aut ferro iter ad salutem aperiendum esse. Hoc idem facit Malibojus. Quorum virtute restituto praelio, repulsisque hostibus, superiores discessisse nostri videbantur: ire certè, quò intenderant, perrexerunt, ad Iriamque oppidum vulneribus, & lassitudine confecti, perturbatique sese receperunt. Hostes

G 2 ab

52 DE BELLO ITALICO,
ab insequendo aut incredibilis audacia
nostrorum, aut suorum jactura, aut
denique prædæ tenuit cupiditas, quâ,
captâ Placentiâ, potiti erant ingenti,
& de quâ, tormentorum maximè
causâ, celeriter est inter eos orta dis-
fensio, cum suam Subalpinus prædam,
quæ suâ in urbe, suam item Germa-
nus diceret, quæ suo labore, suoque
sanguine parta esset, atque iniquum
videri vociferaretur, belli alios pericu-
lorum debere, alios velle præmiorum
esse participes.

Dum hæc in Cisalpinâ Galliâ
geruntur, Rex Sardiniaë Philippum
Marchionem Balestrinatem in provin-
ciam irrupere Genuensium jusserat
ab eâ parte, quæ spectat in occi-
dentem solem, & quam Ligures in-
colunt Ingauni. Hâc re fieri posse
arbitrabatur, ut turbatis domi rebus,
ab

LIBER TERTIUS. 53
ab subministrandis foris auxiliis Ge-
nuenses retardarentur, & si Albin-
gaunum Balestrinas, aliave ad mare
loca occupasset, ut Borbonii ipsi
receptu, commeatuque intercluderen-
tur. Balestrinas acceptis cohorti-
bus iii. legionariorum, quas ex
legionibus Casalensi, & Nicænsi, &
item eâ, quæ appellatur Maritima,
deduxerat, multoque majore tumul-
tuariorum militum, montanorumque
peditum coactâ manu, tum etiam Ci-
fano ex itinere castello expugnato,
direptoque, atque aliquot missis, qui
Castrumvetus obsiderent, ipse cum re-
liquis copiis Saccarellum tribus ex
partibus summâ vi oppugnare insti-
tuit. Ea sunt Ligurum castella Ingau-
norum. Anfrano Saulio, quem Ge-
nuenses Albingaunum, in eamque pro-
vinciam miserant cum imperio, cum
id re-

id renunciatum esset, conari Balestrinatam ea occupare castella, maturat aliquod iis auxilium subito mittere: imparatus ab legionariis, quam maximum potest ex agris, vicisque tumultuariorum militum numerum cogit, eosque eo statim jubet proficisci.

Erat fortè Albingauni Marchio Beriolenfis Gallici exercitus decurio cum cohortibus duabus, iterque ad exercitum habebat. Hominem Saulius appellare, & multis obtestari verbis, aliquot e suis legionariis subsidio mitteret: occasionis esse rem, non prælii; ad quam quoniam illum fortuna obtulisset, insultare diutius in finibus Reipublicæ hostium colluviem ne pateretur: non de Borboniis ita Genuenses meritos esse, ut astantibus, & inspectantibus ipsis, agri vastari, castella expugnari eorum debeant. Negat

gat Beriolenfis sui arbitrii rem esse aut iter intermittere, aut sibi commissas diducere copias: proinde haberent ipsi per se Genuenses periculi sui rationem, sibi que consulerent. Dejectus Saulius opinione Gallici auxilii, tamen animo non deficit. Evocat Astengium centurionem, qui non longè aberat. Astengius cum non amplius lxxx. militibus partim legionariis, partim Pyrochitrophoris auxilium obsessis ferre contendit. Occurrit illi in itinere tumultuariorum manus, eique adjungitur. Interim castella arctè, graviterque, unoque tempore obsidione, & oppugnationibus premuntur. Resistitur acerrimè ab præsidiariis. Accelerat Astengius, ut laborantibus subveniat. Francus Protrib. mil. de exercitu Genuensi, qui Castroveteri præerat, eruptione factâ, Subalpinorum compluribus

ribus interfectis, & captis l. in arcem revertitur. Saccarellum autem cum longiorem sustinere oppugnationem non posset in potestatem hostium venit. Habet illud Balestrinas contra fidem, & deditiois conditiones prædæ loco; pecunias imperat; qui forum ibi agebat togatum hominem, & gravem vexari indignissimè patitur ab suis. Montani verò pedites Subalpini afflucti latrociniis, effusi per agros omnia diripiunt, vastant. Appropinquat Astengius. Ejus cognito adventu, visisque militibus, quos se sequi jusserat, subito hostes timore commoti Castriveteris oppugnationem relinquunt, ac profugiunt. Hoc idem facere Balestrinas conatur. At, fugatis montanis, Astengius suorum inagis virtute fretus, quam memor paucitatis, proximos colles, & semitas præoccupari
uni-

universas jubet, & trepidantem in arcem Saccarelli Balestrinatam compellit. Tum verò ille aquæ inopiâ confectus, frumento, comæatuque omni, & fugâ interclusus, necessariam subire deditioem cogitur. In his præliis vulnerati sunt ex Genuensibus tumultuarii milites nonnulli, & Pyrochitrophori omninò vi. desiderati. Ex Subalpinorum copiis circiter lx. cecidere: sed in deditioem venerunt milites cccc., & nobilissimus homo Balestrinas ipse, & præterea duces xx. alii minores, inque his centuriones tres.

At Genuenses, repressis jam ab alpium parte, maritimoque ad occidentem litore summotis hostibus, majore animo, studioque in reliquum bellum incumbabant, novaque Mirapicensi subsidia ad exercitum addu-

H

cen-

cenda submiserant, neque tamen non magnoperè perturbabantur, auditâ Philippi Regis morte, & cognitis iis, quæ ad Placentiam, Tidoniumque amnem erant gesta, verentes, ne tantæ aliquando calamitates ad perniciem serperent Reipublicæ.

Gagius defatigatum ex superioris prælii labore, ac cæde exercitum ad Iriam oppidum contraxerat, confirmabatque, indeque Dertonam progredi, intraque ipsius Dertonæ, Ser-ravallis, & Gavii præfidia locare castra cogitabat, quò faciliùs, munitissimis, atque opportunissimis locis, quantalvis magnas hostium copias repellere posset, intereaque ex Hispaniâ, Galliâ, Genuâque subsidia, & com-meatus convenirent, atque ita se reliquam belli rationem explicare posse prudenter sanè confidebat. Quæ dum parat

parat, atque administrat; ecce tibi repente Marchio Minensis cum duabus apparet Ferdinandi Regis epistolis, quarum alterâ jubebat Rex Gagio, exercitum, atque imperium Minensî tradere, alterâ Castellarensi denunciabat, uti confestim Italiâ ex-cederet. Atque ita virtute, quàm felicitate major Gagius in Hispaniam rediit imperator severitate, usu, consilio cum veteribus comparandus. Erant tamen qui tardum, parcumque nimis esse dicerent: sed tarditatis culpam longissima ab Hispaniâ usque mandatorum expectatio minuebat, parsimoniam autem nulla de alieno præda etiam commendabat. Castellarensi, qui & ipse consilio bonus, manumque strenuus habebatur, contumacia obfuerat, quâ ferociùs Gagio repugnave-rat, ne idem sibi adversus successorem

licere arbitraretur, & ipsius apud Ely-
sam Reginam auctoritas, extincto Phi-
lippo Rege, criminis loco ponebatur.

Interim magna facta erat in Hi-
spaniâ voluntatum, & studiorum com-
mutatio. Abhorrebat Ferdinandus natu-
râ lenis a vehementioribus novercæ
consiliis, & Camposiano irritatus col-
loquio Gallis diffidebat: quædam etiam
Philippi patris non probabat, invete-
ratâ successorum libidine immutandi
semper, quæ priores fecerint: & erat
ipse quoque uxori obnoxius, quæ vi-
duæ Reginæ studiis adversabatur. Quip-
pe hærebat animo, regnante Socero,
contemptus sui, multaque erumpebant
jam diuturnâ dissimulatione compressa.
Novorum pars Purpuratorum obsequio
erga Reges assentiri præsentibus, pars
odio Gallorum, & æmulatione eorum,
priore qui regno floruerant, damnare
præ-

præterita, reique publicæ causâ ad pri-
vatam obrepere potentiam pro se quis-
que cæperant. Nam quid aliud tot
sumptibus, tot exercitibus, tot com-
meatibus, supplementisque quæsitum,
quàm vulnera, fugas, luctus, opes
paucorum, egestatem omnium? satis
credulitate peccatum; satis Gallis in-
servitum, qui quidem bellum alant
ipsis opportunum, aliis perniciosum:
respicerent aliquandò vastitatem Hispa-
niæ, quæ facta esset Italicis bellis
quærendo foris regna, & dominatic-
nes: denique commodiùs multò Phi-
lippo Regis Fr., quandò armis jam
non possit, pactione, aut fœdere con-
suli posse. Hæc jactabantur apud Re-
gem, hæc edebantur in vulgus, his-
que de causis raptim, atque turbatè edu-
cere Italiâ exercitum, relinquere socios,
ad eaque conficienda, cum satis
tuto

62 DE BELLO ITALICO,
tutò committi literis non viderentur,
missus erat summo cum imperio Mar-
chio Minensis consiliorum gnarus
omnium, & mirâ homo in simulan-
dis negociis ingenii altitudine, maxi-
mèque admodum inimico in Gallos
animo.

Suscepto Minensis imperio Der-
tonam statim progreditur; ad quem
cum nonnulli de Hispaniensi exercitu
Trib. mil. gratulatum venissent, ejus-
que ductu sese meliora sperare dixis-
sent: Quid vos, inquit ille, meliora?
an quicquam hoc non exercitu, sed
exercitus nomine perfici posse spera-
tis? Instantique Malibojo, ut Derto-
næ subsisteret propter ejus loci op-
portunitatem, aliter Regi suo videri
respondit; &, signo dato profectionis,
evelli signa, & castra moveri jussit.
Fortè autem, cum iter Borbonii fa-
cerent,

LIBER TERTIUS. 63
cerent, acciderat, ut Marchio No-
vatus, qui cum x. hominum milli-
bus primum hostium agmen ducebat,
in mediam nostrorum aciem temerè
illatus opprimi facili negotio posset;
utque tanto ad vincendum fortunæ
beneficio uteretur, magnoperè erat
Minensi auctor Malibojus. At illius
mentem una occupaverat cura rece-
ptus. Itaque, spreto Maliboji consi-
lio, ultrà Ligusticas fauces sese reci-
pere properabat.

Interea Genuenses magnâ affi-
ciebantur sollicitudine, ne in tanto
rerum motu destituerentur ab sociis,
& variantibus ab spe, metuque ani-
mis, in partem disputabant utram-
que. Cur enim alius subitò impera-
tor? cur relicta Dertona? cur non
oppressus Novatus? cur denique præ-
ceps adèò, inopinatusque Minensis
rece-

receptus, ut consimilis fugæ videatur? Movebat etiam eos auctoritas Gagii, cujus percrebuerat sermo, quem decedens habuisse inter cœnam dicebatur apud Augustinum Grimaldum in Arenario suburbano. Cum enim illum Genuenses nonnulli, qui salutandi hominis causâ convenerant, paulò curiosius de exitu rerum percunctarentur: Me quidem, inquit Gagius, deposito imperio, Ferdinandi Regis consilia neque scire, neque interpretari decet; sed, si Dertonam, Gaviiumque nostri reliquerint, non verisimile est, velle ab iis, aut omninò posse Ligusticas fauces teneri, sed ulterius progrediantur oportet. Occurrebant illa contra: Erunt igitur fidei, & beneficiorum immemores? optimè de se meritos Genuenses deserent? Quid turpius? loci negligent opportunitatem?

tem? tantam comœtuum, tantam pecuniæ vim Genuæ collectam hostibus tradent? Regem Neapolis, cui, Genuâ amisâ, submotisque Italiâ Borboniis, nulla ferè spes, Regem socium, suorumque Regum fratrem, & consanguineum deserent? non verisimile videbatur. Itaque superabat spes, fore, ut circa Serravallem, Gaviiumque consisterent, & Ligusticas saltem fauces tenerent. Verùm multa in hominum vitâ accidunt inopinata, & nihil est spei, perplexisque hominum consiliis credendum. Nam Borbonii, paucis ad Octavium vicum relictis centuriis ad speciem defensionis, omnem, citra Ligusticas fauces, ad Langienses exercitum contraxerunt præter utilitatem suam, atque omnium opinionem; ipsorumque spe hostium maturior Serravallensis arcis deditio fa-

æta est. Tum verò Genuenses, ad superiorum rerum metum additâ præsentium opinione, Borbonios fugere arbitrati, mittunt ad eos Dominicum Pallavicinum omni Italico bello legatione functum apud Philippum Ferdinandi Regis Fr., Philippoque ipsi, & Reipublicæ probatum, qui, si desperarent, animum perterritis adderet, si labarent, fidei desciscentes admoneret. Eorum consilio bellum Genuenses suscepisse: eorum causâ, submissis auxiliis, patriam præsiidiis nudasse: socios tam fideles hostibus tam incitatis conculcandos, diripiendosque ne relinquerent: neu nimis valdè perturbarentur adversis: loca, homines, commeatus superesse ad repugnandum, exercitumque commodè, & sine periculo habendum: denique recordari debere, quoties ad
pau-

paucissimos redacti, redintegratis mox viribus unâ virtute, & perseverantiâ vicerint; quâ post Camposanctense prælium, quâ ad Velitras constantiâ exultantem in victoriâ hostem represserint: hostem ipsum aut inopiam non laturum in locis asperis, atque impeditis, aut fractum difficultate itinerum, & levium crebritate præliorum longius recessurum. Minensis, tametsi vera Pallavicinum loqui intelligeret, tamen ipse longè diversâ animo agitabat ea spectans, quæ erant apud Regem in Hispaniâ constituta. Itaque ingenio usus suo in occultandis negociis, & fortasse ab Genuensibus metuens, ne in receptu impediretur, consilium profectiois quò diligentius obtegeret, studium manendi vehementissimè simulabat. Pallavicinum suo, sui que Regis nomine sine curâ esse

68 DE BELLO ITALICO,
jubet, de statu belli, de locorum natura, Ceciliensi adhibito Genuensium copiarum legato, consultat, denique benè pollicetur.

Hæc a Minensi, hæc a Muniaino, quicum summis de rebus Philippus communicabat, publicè, privatimque inculcabantur, hæc eadem iterabantur a Gallis vel ignaris, vel necessariâ ergà Hispanos obsequentiâ, conniventibus quidem certè; eratque unus omnium sermo, interclusuros suomet ipsos sanguine hostibus aditum, & pro Urbis Genuæ mœnibus tanquam pro patriâ pugnatos. Quibus rebus confirmati Genuenses, & eo decepti, quod neque causam viderent, quare suspicarentur, neque sine causâ suspicandum putarent, defensione urbis neglectâ, ad sublevandas Borboniorum copias curam omnem, & diligenti-

LIBER TERTIUS. 69

ligentiam conferunt; &, cum id Minensis studiosius expeteret, quas ad Urbis præsidium cohortes reservaverant, eas etiam Savonem versus ad continendos ab eâ parte hostes, ne, ut ipse agebat Minensis, Borbonii intercluderentur, proficisci jubent.

At Borbonii eadem usi simulatione Marchionem Villadariensem Genuam mittunt, ut coram ipse quoque defendendæ Urbis opinionem monendo, consulendo, Feginum denique ad castra locum designando excitaret. Dum autem Genuæ, atque in castris ad Reipublicæ defensionem multa consuluntur, Respublica indefensa relinquitur.

Sextum jam Philippus progressus Varum annum, Galliamque Narbonensem spectare videbatur. Erant omnes ad litus appulsæ actuariæ: tormenten-

menta, commeatusque exercitus convehabantur ad mare; imponebantur; mare omne, litusque nautis, navibusque, impedimentis, atque operis strepebat, discedere properantibus. Quæ cum fierent, erat eadem in ore Gallorum, atque Hispanorum de Urbis defensione affirmatio, Pallavicinumque Philippus, negotium ut tandem conficeret, postridie redire jusserat.

Austriaci, dimisso in Cisalpinam Galliam omni ferè equitatu, quòd ejus in montibus inutilis opera videbatur, neque satis esse pabuli poterat, & relictis, qui Dertonam, quique Gavium obsiderent, receptâ, ut diximus, in itinere Serravalle, occupatisque Novis, bipartitò copias dividunt. Subalpini Savonem, Finariumque versus eruptionem facere contendunt; Germani autem, Ligusticis primò

mò impetu faucibus potiuntur, cum, quæ præsidio ibi erat, Hispanorum manus, commisso vix dum prælio, sese ad suos magis recipere, quàm aliena tueri cogitaret.

Postridie mane Sextum Pallavicinus redibat, ut, quò tantæ demum Borboniorum pollicitationes crumperent, videret. Atque ei millia passuum aliquot progressò nunciatur, paulò ante discessisse Philippum, omnes duces, omnem exercitum properare, atque esse in itinere. Itaque, infectâ re, in Urbem revertitur. Paucis post diebus, cum jam Austriacorum adventu in maximâ Genuenses essent perturbatione, ac luctu, apparent a Muniaino literæ, quas scripsisse is dicitur Ovalii Hiberni callidissimi hominis admonitu, ut a Borboniis relictionis invidiam averteret in eos

eos ipsos, qui relinquebantur. Insimulabantur Genuenses, per inde quasi nimiam libertatis curam recipere intra Urbem auxilia noluisse, quæ maximè imploraverant, aut per quasdam conditiones placare Austriacos tentassent a quibus durissima quæque patiebantur. Munia ex auctoritate Senatus Pallavicinus omnium earum rerum testis, atque actor respondit; iisque eum sententiis, rebus, & temporibus adeo repugnantibus scripsisse, quæ scripserat, demonstravit, ut liquido constaret intempestivam expostulationem longè plurimum a vero abhorre. Tam autem anxia protectionis occultandæ religio eò spectasse videtur, ut impeditis circa Genuam deditio, prædæque Austriacis, quietiorem Borbonii receptum haberent.

Austriaci Genuæ appropinquabant,

bant, in Arenariumque suburbanum pervenerant, magnaue erat in Urbe perturbatio, magna concursatio sciscitantium quo loco Austriaci, quo Borbonii essent, & augebat tumultum agrestium mulierum, virorumque turba, quam, adventantibus Austriacis, repentinus in Urbem pavor compulerat. Erat hostis ad portas, nullum foris auxilium, nullum intus præsidium, non pecunia, non milites, exhausto ærario, distracto exercitu, paucis relictis cohortibus, iisque ex transfugarum genere infidelissimo suppletis. Urbana cum vocaretur ad arma plebs aut nomina non dabat, aut dilabebatur. Irritata enim Borboniorum receptu, & capta compendio, quod locandis operis, venalibusque vendendis belli tempore fecerat, detestabatur magis sociorum perfidiam,

K quam

74 DE BELLO ITALICO,
quàm hostium horrebat adventum,
minusque servitutis quietæ opinione,
quàm ancipitis belli metu perturba-
batur. Apud Patres variæ erant sen-
tentiæ, & erat magis in promptu,
quid sequerentur, quàm quid sequi
e Republicâ foret. Mittendum tamen
Eserium castrorum Præfectum cen-
suerant, qui Brounii eliceret animum;
namque is Austriacis tunc copiis, ab-
sente Bottâ, præerat. Sed cum acer-
bius esset Eserius tractatus, & ne-
gligenter auditus, missi sunt Rayne-
rius Grimaldus, & Augustinus Lau-
mellinus, qui, Brounio convento,
ita locuti sunt: Bellum Genuenses ne-
mini, minimèque omnium Reginae
Ungariæ intulisse, quam semper sin-
gulari observantiâ coluerint: ejus rei
testimonium esse, quòd eorum Lega-
tus nunc quoque Viennæ apud ip-
sam

LIBER TERTIUS: 75
sam sit, neque certè, nisi salvâ ami-
citiâ, liceret esse: ad Borboniorum
societatem coactos descendisse, atque
omnia prius de compositione exper-
tos; arma sumpsisse defendendi sui
causâ, ne sua sibi eripi si inermes si-
nerent, ignavissimi mortalium habe-
rentur. Quare neque insectandos vi-
deri, qui sua defenderint, neque ho-
stium numero habendos, qui nunquam
ab amicitia discesserint. Immo verò
acerbissimorum hostium, inquit Brou-
nius: quid enim finè vobis Borbo-
nii potuissent? iis vos auxilia, vos
comineatus subministrastis, & sexen-
nium ferè, frustra que nitentibus vos so-
li, Genuenses, patefecistis aditum ad
ea conanda, quæ si valuissent, Au-
striacum in Italiâ nomen deletum es-
set. Irent properè, Senatuque re-
nunciarent, omittendum esse in præ-
fentiâ

sentiâ amicitiae nomen, easque leges accipiendas, quas victoris ira imposuerit. Missurum se cum iis Comitum Goranum, qui eas perferret, Senatuique descripto pronunciaret.

Biduo, quo hæc gesta sunt, Novis Botta profectus ad exercitum advolavit, ne quis deditæ Urbis gloriam, prædamve alius interciperet, & improvisum accidit Austriacis incommodum. Nam cum in ipso Porciferæ amnis alveo tetendissent, qui latissimus est, & erat a diurnâ serenitate exsiccatum, tantus repente imber coortus est, ut nunquam illis locis majores aquas fuisse constaret, & milites, tabernacula, equites, equique rapidissimo amne abrepti gurgitibus haurirentur, eaque tempestate homines ad mille perirent.

Bottæ adventus, ut in malis, gratus

gratus Genuensibus fuerat, propterea quòd recordatione civitatis, quâ familiam suam cum suffragii jure honoris causâ donaverant, & affinitatis, quæ erat ei cum nonnullis Genuensibus, facilem, mitemque sperabant. Ad quem cum Augustinus Laumellinus, & Marcellus Duratius (nam valetudine Grimaldus impediabatur) in castra venissent, precibusque ab eo petissent, ne hostis animo, qui civis esset, ad communem quodammodò patriam evertendam accederet, eum ingressos in sermonem Botta interpellavit, & loqui plura prohibuit: Quid enim, inquit, verbis opus est? aut resistendum vobis est, aut statim facienda deditio. Si resistitis, ego Urbis ruinam actutum futuram puto; sin deditioem facitis, accipite. Explicat codicillos, in quibus ejusmodi erant.

erant scriptæ conditiones: portam Urbis unam statim traderent: quæ in arce Gavii, quæ item in Urbe præsidia essent, se uti Austriacis dederent, Senatus censeret: Austriacos bellum gerentes, eorumve socios oppidis, arcibusque reciperent: omnes Reipublicæ portus, stationesque Austriacis, sociisve nautis, Navarchisque paterent, atque immunes essent: adversus Austriacos, eorumve socios hostile quicquam ne tentarent Genuenses, neu tentari paterentur ab suis: arma, commeatus, tormenta, quæ Gallorum, Hispanorum, ac Neapolitanorum essent, sinè morâ traderent; qui item Galli, Hispani, Neapolitanive milites, ducesve essent apud ipsos, eorum sinè ullâ exceptione nomina profiterentur: qui bello capti, quive transfugæ ax Austriacis essent, rectè omnes red-

redderent: Dux, cumque eo Senatores sex Viennam proficiscerentur, advolutique Reginae pedibus clementiam ejus implorarent: obsides ea ità futura Senatores quatuor darent Mediolanum deducendos; & tricies HS., quod exercitui congiarii nomine donaretur, penderent in præsentem, & tantundem præterea pecuniæ Comiti Cotechio Italici exercitus Quæstori curarent, quantum conveniret: de his omnibus rebus xx. horarum spatium ad deliberandum haberent. Hoc a me, inquit Botta, beneficium habetis, ut aliquæ sint conditiones, quibus vitam, ac libertatem pacisci possitis; quas non ademisse erit vobis argumenti loco, me nec humanitatis, nec, quando ita vultis, patriæ oblitum esse. Si cui verò conditiones lætæ graves, atque acerbæ videantur,

re-

80 DE BELLO ITALICO,
reputet ipse secum, quanto illa gra-
viora æstimanda sint, expugnari do-
mos, diripi fortunas, abstrahi in ser-
vitutem, cædes fieri, incendia, rapi-
nas, quæ omnia necesse est accidant
victis, victoribusque parere recusan-
tibus. Perlectis Legati conditionibus,
auditisque Bottæ minis ingemuere, &
quò sunt, quæ præter opinionem ac-
cidunt, acerbiora, eò vehementius
Bottæ oratione commoti sunt. Facilis
enim qui putabatur, ad eas condi-
tiones, quas Senatui Goranus edide-
rat, duriores ipse multò addiderat: ut
autem spatium intercedere posset, dum
his malis remedium aliquod invenire-
tur, negarunt Legati xx. horarum
negotium illud esse, in quo de to-
tius Reipublicæ statu ageretur, cum
præsertim lege apud ipsos sancitum
esset diligenter, ut, nequid eâdem die
de

LIBER TERTIUS. 81

de eâdem re & consuleretur, & sta-
tueretur, neve quid prius statueretur,
quàm Senatus antea cognovisset, &
Concilium postea Minus approbasset.
Tum Botta barbaram irridens, quam
vos mihi, inquit, legem, quem Se-
natum narratis? una est hodie vobis
lex parere victori, neque armatis ho-
minibus cogitandum est, quid vester
ille Togatorum conventus decernat.
Legati, desperatâ re in Urbem rever-
tuntur.

Habetur statim noctu Senatus:
ac tametsi plerique accipiendas con-
festim a victore leges, & positâ fe-
rociâ, fortunæ cedendum existimarent,
tamen non deerant, qui in extremis
rebus ab animi magnitudine auxilium
petendum esse arbitrarentur, constan-
tiam, & fortitudinem, veterumque
Romanorum non accomodata tempo-
ribus

L

82 DE BELLO ITALICO,
ribus exempla usurparent, præstareque
dicerent omnes perpeti acerbitates,
quàm tantâ acceptâ ignominiâ, &
libertate amissâ, precariâ salutis spe
pendere. Vicerunt ii, qui neutro-
rum, neque approbatâ, neque im-
probatâ sententiâ, placere sibi cense-
bant, uti antequàm quicquam de
tantâ re statueretur, evocarentur Præ-
fecti copiarum, deque statu mœnium
Urbis, ac defensorum interrogarentur.
Evocati raptim, interrogatique nùm
his mœnibus, his militibus defendi
Urbs posset, ad unum omnes non
videri responderunt. Senatus, cum
nihil in mœnibus, nihil in militibus
præsidii esset, & præsentis vi cogere-
tur ad iniquè paciscendum, movere-
tur autem misericordiâ populi sui,
quem in expugnatione Urbis diripien-
dum, atque interficiendum videbat,
neces-

LIBER TERTIUS. 83
necessitati parendum censuit. Sic fugâ
sociorum, infirmitate præsidii, terrore
præsentis exercitus inducti Genuenses,
compulsi, coacti conditiones a Bottâ
latas accipiunt: Fit in eam sententiam
S. C., quo ex S. C. Gavii arx muni-
tissima Austriacis deditur, frementibus
præsidariis, ægrèque ipso arcis Præfe-
cto Joanne-Lucâ Balbo ferente, jussu
Senatus ad deditionem compelli, cum
duodecimum jam diem summâ vi op-
pugnantem Picolominæum contemne-
rent. Mittit ipse continuo Botta, qui
portam occupent, quæ ad Pharum,
novorumque mœnium ambitum per-
tinet, neque eâ contentus mittit etiam,
qui Thomasianam portam obtineant,
quæ in veteri Urbis muro ædificata
est; cum Legati Reipublicæ infirmari
conditiones frustra testarentur, si duas
pro unâ portas occuparet; ille autem
L 2 por-

portam nequicquam tradi diceret, quæ introitum non daret in Urbem. Harum enim portarum situs is est, ut altera alteri includatur, neque adiri ad alteram nisi per alteram possit. Urbs autem ipsa duplici murorum ambitu veteri, novoque cingitur.

Oppressâ Genuâ, fugatis Borboniis, insperatâ rerum commutatione elati Austriaci, nactique ex diuturnâ egestate copiam subitò rerum omnium majores sumere spiritus, majoraque multo agitare animo cœperunt, neque posse ad ea conficienda quicquam deesse arbitrabantur, cum Urbem haberent refertissimam, quam primum consilium erat penitus exhaurire; & iis, quibus vitam, atque arma relinquere mala minitari, spoliaque omnia extorquere instituerunt.

Quæstor Cotechius, cum in Arena-

narium suburbanum venisset, petiit statim a Senatu per literas, uti nobiles sibi aliquot daret, quibuscum colloqui, & de summâ, quæ Reginæ Ungariæ nomine curanda esset, convenire posset. Gravissimi viri, & summis honoribus usi Joannes-Baptista Grimaldus, & Laurentius Fliscus designantur, qui eâ de re cum Bottâ, & Cotechio agant: atque iis, cum ad Quæstorem venissent, priusquam colloquerentur, ipse ultrò Cotechius edictum obtrusit, quo Senatus compellabatur, & in quo de clementiâ Ungariæ Reginæ erga Genuenses multa prædicabantur: ejus beneficio suis legibus vivere, quos in potestatem redigere belli jure potuisset; & ne nunc quidem id illam agere, ut omnia illata bello damna dissolvantur ab Genuensibus, & compensentur pecuniâ, quod tamen esset æquif-

86 DE BELLO ITALICO,
æquissimum; sed multum remittere;
exiguâque esse parte contentam. Da-
rent millies octingentis HS. tribus
descriptum pensionibus æquis; qua-
rum ex quâ die, quâve horâ hæc
scripta, editave postulata essent, uti ex
eâ die, eâve horâ intra viii., & xl.
horas prima pensio, altera intra octa-
vum diem, intra quintum decimum
tertia solveretur. Ni id ad certam
diem factum sit, Reginam suæ obli-
tam mansuetudinis igni, ferro, omni-
que cladis genere in Genuenses ani-
madversuram. Legati demonstratâ,
deploratâque ærarii inopiâ, orant ho-
minem, atque obsecrant, ne civitatem
atroci evertat edicto, quod futurum
provideant, si tot malis confecta alio
insuper tributo, ac fœnore trucidetur;
multaque & de iniquitate imperandi,
& de acerbitate exigendi conquesti
sunt.

LIBER FERTIUS. 87
sunt. Ad ea nihil Cotechius, nisi
parvulam temporis dilationem multis
precibus expressam concedere. Re Se-
natui nunciatâ, cum propter negotii
gravitatem, temporisque angustias,
exploratis omnibus rebus, quò con-
fugeret, non esset, decurritur ad ul-
timum illud miserum, & grave, quo
ne turbulentissimis quidem Reipublicæ
temporibus nunquam antea ventum
erat, uti pecunia, quæ est ad Geor-
gii, efferatur, ex eâque prima pensio
solvatur. Erat illa quidem publicâ ibi
fide non solum ab Genuensibus, sed
etiam a reliquis plerisque Italis, ac
Transalpinis deposita pecunia, eamque
Georgianæ mensæ tuendæ Octoviri di-
ligentissimè adservabant; sed extremis
malis aliis malis remedia dabantur,
Tot, tantique acervi nummorum par-
tim in triremem impositi, partim
plau-

plaustris exportati terrâ, marique deferrebantur in Arenarium suburbanum ad Austriacum Quæstorem palam inspectante populo, atque ingemiscente. Et Botta flagitare pabulum, flagitare frumentum, tabernacula, vecturas non desisteat increpitans, minitansque, & cujus modò rei nomen reperire poterat, hoc satis esse illi ad cogendas pecunias, vexandosque Genuenses videbatur. Contrahebant naves, bellumque adversùs Neapolis Regem parari, idque Genuensium comitatibus, atque auro administrandum esse dictitabat; seu quòd istud, si Genuam cepisset, a Regina Ungariæ mandatum haberet, sive eo quòd desiderium ejus interpretaretur, bellique apparatu præveniret. Namque Regina ardenti, veterique Neapolim cupiditate rapiebatur, quam cupi-

cupiditatem tot jacentem adversis, tempus opportunum, & secundæ subito res excitaverant, accendebantque turbandarum rerum nunquam abjecta spes, irritique semel ad Velitras dolor conatus.

At Neapoli, hoc literis, nunciisque divulgato rumore, trepidatur. Carolus Rex, etsi Ferdinandi Fr. egregiam in se voluntatem ex literis cognoverat Plumbini, Ilvæque Principis, quem suæ Præfectum domus, auditâ Philippi Patris morte, in Hispaniam miserat; neque dubitabat, quin, illato bello, Hispanorum auxiliis defenderetur, tamen rei ejus moram, temporisque longinquitatem timebat, quòd exercitus sui receptu, novisque regni consiliis occupatus Frater non ita celeriter juvare eum poterat. Relinquebatur, ut suis se copiis tueretur: sed

M

vete-

90 DE BELLO ITALICO,
veteranæ Italico bello distractæ, ac
vehementer erant diminutæ, reliquæ
ex provinciali delectu ita recentes, ut
neque expectandum ab iis solis, ne-
que committendum iis quicquam esse
videretur. Itaque non egredi regno,
quod fuerat Veliterno bello utilissi-
mum, neque hostibus, si advenissent,
occurrere cogitabat, sed communis
ad regni fines, defensisque arcibus, re-
pugnare, intereaque veteranas suas, at-
que auxiliares Hispanorum copias, quæ
infesto Britannis mari, ægerrimèque
coactis actuariis, Neapolim identidem
commeatibus confluebant, expectare,
&, si gravius accidisset, in Siciliam
navigare constituerat. Verùm Austria-
corum spem, metumque Neapolitano-
rum Caroli Regis videtur fortuna
quædam dispulisse, quæ aliam Bri-
tannis, Regique Sardinia, aliam Au-
striacis

LIBER TERTIUS. 91
striacis mentem injecit. Britanni pro-
piorem multò, atque infestiorum hostem
Gallum persequi, in Galliamque pro-
pterea penetrare Narbonensem cupie-
bant, illâ etiam spe ducti, fore, ut ad-
ventu suo per causam religionis excita-
rentur in Occitaniâ seditiones, con-
flatoque domi bello, abstraheretur Gallia.
Rex ab oppugnando Belgio, ad sua-
que defendenda revocaretur. Sardinia
Regi non iisdem de causis eadem erat
mens. Ille neque longiùs a finibus suis,
hostem veritus, discedere Germanos,
neque receptâ Neapoli, nimium con-
valescere suis utile rebus arbitrabatur,
implicatisque bello Gallis, magis libero
solutoque animo Savonem occupare,
eâque occupatâ (quod erat illi maxi-
mè propositum) optimo tandem portu
potiri meditabatur. Villetius Britan-
norum, & Riccæcurtius Austriacorum
M 2 Lega-

Legati in Arenarium suburbanum conveniunt, eoque Marcianensem Comitem Sardiniae Rex mittit. Cum Britannii Sardiniae Regi cuperent, Austriaci autem Britannis obsequi cogentur, constitutum communiter est, ut, deposito invadendae Neapolis consilio, in Galliam quamprimum Narbonensem eruptio fieret, eoque Brounius proficisceretur, ad quem summa imperii respiceret.

Rex Sardiniae ex maximâ in Bormiensi valle itinerum difficultate Ligusticam nactus oram, quae est ad occasum solis, cum omni ferè exercitu suo Savonem oppidum ingressus, arcem ad deditionem compellere statim non potuit. Defendebat eam Augustinus Adurnius Genuensis excellenti virtute; neque ullâ denunciatione periculi, aut desperatione auxilii, aut de-

denique defensionis iniquitate permovebatur. Nam, quod erat, ut diximus, in deditionis conditionibus adscriptum, ut ne adversus Austriacos, eorumve socios hostile quippiam Genuenses tentarent, neu tentari paterentur ab suis, ejus usi foederis calumniâ Britanni postulaverant, ne, quae adversus arcem instituebantur, Subalpinorum opera a praesidiariis disturbarentur, adeout jugulum armatis hostibus prius Genuenses dari cogentur, quam se defendere possent. Relictis Rex cohortibus, quae allatis, & constitutis quietissimè tormentis arcem oppugnarent, ipse Finarium progressus, receptis arcibus, oppido potitur, quae causa imprimis Italici belli fuerat. Aliquantum fuit ad Albinemelium morae, quae urbs est in finibus Liguria loco posita excelsa, & arce:

arce satis munitâ. Sed ea quoque ad-
vectis mari tormentis, octavo capitur
die. Dejectis inde Montealbano, Vil-
lâque Francâ hostium præfidiis, Ni-
cæam Rex venit, pustularumque ibi
morbo tentatus lenissimo, paucisque
propterea diebus recreatus reliquam eo
in oppido agere hyemem constituit.

Hispani, Gallique in fugam con-
jecti nihil de resistendo cogitabant,
sub adventumque hostium omnibus
statim locis excedebant, Varumque
flumen transgressi sua ipsi, & aliena,
necui essent Austriacis insequentibus
usui, evastabant, parsque tandem in
Galliam Narbonensem ultimam peni-
tùs recesserant, pars intra Allobrogum
saltus, montesque sese abdiderant. Ita
Borbonii Italiâ cesserunt non tam ho-
stium virtute, quàm suis devicti con-
siliis.

Brou-

Brounius, præmissis terrâ Gora-
no, qui loca exploraret, extremum-
que carperet hostium agmen, quique
ad Tropæam in ipso expeditionis ini-
tuo jaculo transfixus interiit, ipse ab
Arenario prosperâ tempestate solvens,
Britannicâque ad Villamfrancam navi
delatus, Nicæam biduo post pedibus
pervenit: & cum intelligeret in illis
locis sibi bellum gerendum, ubi pro-
pter itinerum angustias, agrique mi-
nimè uberis naturam, & per quem
etiam superioribus diebus hostis præ-
dabundus inceserat, futura esset in
magnis res difficultatibus, atque undè
xl. ante annis Princeps Eugenius tan-
tæ auctoritatis imperator, gravi ac-
cepto incommodo, profugisset; non
mediocrem sibi diligentiam adhibendam
intelligebat. Itaque, convento Rege
Sardinia, communicatisque consiliis,
cum.

cum supportaturos Genuâ tormenta, commeatusque Britanni in se recepissent, expectabat ipse, dum reliquæ ex Subalpinis, Galliâque Cisalpinâ, Liguriâque ad eum copiæ convenirent, iisque augerentur, quæ, extremâ jam fame coactâ ad deditiorem Dertonâ, adventabant; atque omnibus rebus paratissimus non dubitabat, quin bellum ex sententiâ conficeret, ad eamque gloriam, eumque diem properabat, quo ipse, perdomitâ Galliâ Narbonensi, Principi Eugenio rei gestæ famâ anteponeretur.

At Genuæ Austriaci jure belli, & patientiâ abutebantur deditorum. Nam Botta hibernorum instrumentum, aliaque multa, Cotechius alteram pensionem suo more flagitabant, eadem videlicet, incendia, rapinas, ni id esset celeriter factum, denunciantes. Senatus

natus jam a principio summos viros Cæsarem Cattaneum, qui biennio post Dux fuit, Matthæum Franconium, Augustinum Gavottum, Augustinum item Laumellinum proficisci Viennam jusserat, qui Reginam de his rebus certiores facerent, iratamque placarent Reipublicæ. Verum ne hoc quidem juris obtinere potuit, ut clarissimorum Civium legatione totius exitium Civitatis deprecaretur. Ademptâ spe deprecationis, calamitates augentur, efflagitationes, minæ. Tantæ conficiendæ pecuniæ ratio quærebatur. Treddecim viri huic negotio præficiuntur. Tributum extra ordinem locupletioribus imperatur. Erat tamen ad id, quod vehementissimè flagitabatur, perexiguum. Effertur iterum ex Georgianâ mensâ argentum, eoque altera Austriacis pensio solvitur.

98 DE BELLO ITALICO,
tur. Quâ vix dum solutâ, expo-
scitur statim tertia. Fit magnus do-
lor, & gemitus populi, totiusque
admiratio Italiæ, tam grandem, tam-
que impudentem Genuensibus mul-
ctam irrogari, neque aliud crimina-
ri, quàm voluisse ab sese potentio-
ris injuriam propulsare. Ipse Benedi-
ctus XIV. non tam, quòd Pontifex
esset, paternâ quâdam benevolentîâ,
quàm quòd communem Italiæ for-
tunam miseraretur, cujus periculum
in Genuensium calamitate agebatur,
omni a Reginâ studio contenderat,
ut leniret se tandem miseræ, atque
oppressæ Civitati, imperatæque pecu-
niæ partem remitteret. Ac primò au-
ctoritate Pontificis commota flecteba-
tur animo Regina, Legatoque ejus
partem remittere pecuniæ benignè re-
ceperat, postea verò vel inopiâ pecu-
niæ,

LIBER TERTIUS. 99
niæ, quæ erat ei ad maximum bel-
lum necessaria, vel eorum adducta
consilio, qui Genuenses oderant,
præcisè negavit; &, quasi facilitatis
pœniteret, non solùm tertiam exigi
subitò pensionem, sed etiam sexcen-
tics HS. hibernorum nomine imperari
jussit. Tum verò nemini dubium fuit
quin planè totius impenderet interi-
tus Reipublicæ. Adeunt Bottam Le-
gati, orant, atque obtestantur, ut,
si quis locus misericordiæ relinquatur,
det aliquam extrema tolerantibus ve-
niam. Flecti Botta videbatur, at Co-
techius concitabatur, cum interim mi-
feri jactarentur Genuenses, & crude-
liter illuderentur. Sed perseverantibus
Legatis Botta respondit: Nequicquam
ejus Reipublicæ inopiam prætendi,
qui cives habeat ditissimos: cum adeo
patriam amarent, atque ejus incom-

100 DE BELLO ITALICO,
modis tam vehementer commoveren-
tur, fatiscerent illi de suo, qui ma-
ximam apud exteros populos pecu-
niam occuparint. Quæ Bottæ man-
data contra jus omne publica privatis
permiscerent cum Senatui renunciata
essent, extremumque, si rejicerentur,
malum instaret; omnes autem quibus
Viennæ, Mediolani, reliquisque in
locis pecunia erat in nominibus, for-
tunas suas pro Reipublicæ salute li-
bentissimè offerrent, iisque caveri,
oppigneratis Reipublicæ vectigalibus,
æquissimum videretur, de his rebus
omnibus Dux ad Concilium Majus
retulit.

Quo in Concilio nonnulli nobi-
les, cum vel propriis impediti malis
Reipublicæ non satis calamitate mo-
verentur, vel rerum ignari in publicâ
obligata fide bona quoque sua, cor-
po-

poraque obligari falsò crederent, co-
nati sunt, cum perrogarentur senten-
tiæ, strepitu, admurmuratione, turba-
tis denique suffragiis impedire, quo-
minus decerneretur. At Philippus
Franciscus Spinula grandis natu, jurif-
que consultus, cum silentium fecisset,
consenuisse se, dixit, in Republicâ,
neque unquam ejusmodi turbis nobilif-
simum Conventum agitari vidisse: de-
bere quidem ferendorum suffragiorum
libertatem servari, sed turbandorum
licentiam a dignitate loci, atque ho-
minum, qui nihil sapere plebejum
deberent, longè abhorrire. Hic tum
Augustinus Gavottus surrexit, & pla-
cere sibi censuit, ut cognoscendæ rei
spatium daretur iis, qui non seditio-
nis cupidine incitati, sed rei prola-
psi ignoratione infremuerint. Visa est
æquior sententia; itaque Concilium
dimis-

dimissum est. Cum autem Botta, immutatâ repentè voluntate, non syngraphas sibi dari, sed numeratam appendi pecuniam juberet, res dilata est, totaque demùm, conversis temporibus, populari motu interpellata refrixit.

Non remittebat interim furor flagitantium, minitantium Austriacorum; neque in Urbe solùm, sed in vicis, castellisque singulis, ubi reliquæ Austriacorum copiarum ad divexandam Liguriam cum Bottâ relictae hiberna constituerant, eadem denunciabantur, eadem imperabantur, acerbissimèque exigebantur. Ipsum in portum ingressa Britannica navis bellica Urbem, portumque inaudito prædandi genere habebat infestum; dicebaturque a Rege Sardiniae, cujus arbitrio Britannica ad mare inferum classis administrabatur, eo consilio submissa,

ne

ne opulentæ Urbis præda omnis Austriacis cederet: ægrèque is tulerat, illos, ipso neglecto, cum Genuensibus transgisse. Comes Christianus Ligur, magnus Scriba Mediolanensis, Genuam improvisò advenerat, certamque, non consentiente Senatu, cujus erat is beneficio cum suffragii jure civis Genuensis, tabellariis Mediolanensibus sedem constituerat, datâque iis immunitate, discesserat. Damnati majestatis, vincitque Rivarolæ turbulentissimi in Corsicâ hominis filii, seditiosi ipsi solvuntur, exorante quidem Bottâ, sed armati, & victoris preces imperantis habere vim videbantur. Erat in Urbe justitium quoddam, nihil invitis Austriacis Senatus, nihil reliqui poterant Magistratus. Movebat maximè multitudinem sui Ducis, prout videbatur, spreta majestas.

Nam,

Nam, cum mos esset, quoties pro-
 daret in publicum, ut instructi mili-
 tes Reipublicæ fora, viasque obside-
 rent, hanc honoris speciem removeri
 Dux, sive casu jusserat, sive tempo-
 ris iniquitate commotus: id tamen in
 Austriacorum importunitatem confere-
 bat vulgus inquietum, suspicax, &
 præoccupatis semel animis, etiam for-
 tuita durius accipiens. Contemnebatur
 nobilitas, maledictis omnes, contu-
 meliosisque vocibus infectabantur; at-
 que ita ad jacturam rei familiaris ad-
 jungebatur contumelia, quam pati
 Itali homines difficillimè possunt: erat-
 que utrumque acerbum admodum fe-
 rocissimo populo, & lucri cupidissi-
 mo. Opifices, & tabernarii aut se
 suis artibus removerant, aut palam vi,
 malo, plagis adducebantur, ut mer-
 ces venderent, non quanti esset
 æquum,

æquum, sed quanti cogentur. In
 his angustiis minuebantur ab opulen-
 tioribus sumptus, egentiumque pro-
 pterea, & perditorum numerus auge-
 batur. Nonnulli ex nobilitate, &
 cujuscumque loci honestiores, patriæ
 everfionem cum audire mallent, quàm
 videre, cum liberis, & uxoribus pro-
 fugerant, multòque plures profugif-
 sent, nisi Concilii Minoris decreto
 fuga repressa esset, quo decreto Se-
 natori, nobilive, qui Concilio Mino-
 ri interesset, abesse ab Urbe ad an-
 num vetabatur, multaue dicebatur,
 si abesset: adeo, desperatis omnibus
 rebus, plena erant omnia mœroris, lu-
 ctus, & tristissimi cujusdam silentii.
 Austriaci contra milites, ducesque va-
 gabantur passim læti, atque erecti
 cum ingentibus minis, & barbaro,
 atque immani terrore verborum, ocu-
 lis,

lis, manaque loca, domosque designabant, quas occuparent, quas prædarentur. Est Genuæ locus, extruso mari, magnificè exstructus, ubi publicè, privatimque merces asservantur diligenter. Eò irrumpentes Austriaci insolenter obequitabant, & mercatorum bona suam esse prædam dictitantes, omnium ejus ordinis odia in se stultissimâ jactatione concitaverant. Audiebantur voces quasi vaticinantium: madefactum iri minus octo diebus Genuam sanguine, futuramque stragem cæde ipsâ fœdiorem. Ipse imperator Botta Legatis Reipublicæ pro patriâ orantibus dicebatur dixisse, nihil se Genuensibus præter oculos relicturum, quibus miseriam possent Civitatis, atque Urbis flere vastitatem.

Brounius, transducto Varum flumen

men exercitu, cum lxxiii. cohortibus, quo in numero xx. erant Subalpinorum, & xlv. equitum turmis in Galliam Narbonensem eruptionem fecerat, &, cum mare tenere, com meatusque vellet, qui Britannicis ab Genuâ navibus supportabantur, primum omnium Antipolim oppugnare cogitabat; quâ captâ, reliquum facile bellum explicare posse confidebat. Nulla erat Hispanis permanendi in Galliâ voluntas, nullæ Gallis eo loco ad resistendum vires. Qui ex Italiâ redierant continuis præliis, atque itineribus attriti vix se sustinebant: qui a Belgio abstracti subsidio accurrebant, atque expectantur acerrimè, aberant longius. Hostes imminebant; legebant littus Britannii; & seditiosis in Occitaniâ animus accesserat. His omnibus rebus

108 DE BELLO ITALICÒ,
tantus, adventu Austriacorum, uni-
versæ provinciæ terror inciderat, ut
alii res suas in Lerinam, Planasiam-
que insulas, quâ minimè adire hostis
videbatur, conferre properarent, alii,
projectis omnibus, longioris fugæ
consilium caperent. Massiliæ, Telonis,
atque ipsas ad Aquas Sextias, ubi
Philippus Hispani Regis Fr. consti-
terat, metus erat summus, & de
deditione sermo nonnullus, jamque
corrogabantur pecuniæ ad direptio-
nem, cædemque redimendam.

Sed debebatur fatis, ut Galliæ
salus, Italiæque libertas unâ Genuen-
sium virtute staret. Nam, cum ad
oppugnandam Antipolim tormentis
opus esset, eaque asportari, suppor-
tarique Genuâ placeret, misit conti-
nuò Botta magis ad speciem officii,
quàm quòd denegaturos crederet,
qui

qui ab Duce, Senatuque peterent,
utì ea sibi confestim traderentur.
Negavit Dux concedi cuiquam posse,
quæ uni Reipublicæ in defensionem
reservarentur; neque decere Senatum,
qui ad patriæ custodiam delectus es-
set, ipsum tradere aliis patriæ præsi-
dia. Quando verò omnia vi, mi-
nisque agerentur; quid Botta preci-
bus peteret, quæ per vim posset au-
ferre? Hoc accepto responso, aliquot
statim milites proficisci Botta iussit,
qui tollenda e mœnibus tormenta,
asportandaque curarent. Hic tum po-
pulus, atque universa multitudo pau-
lò apertiùs queri, & clamare cœpe-
runt: ereptum argentum, ereptam li-
bertatem; etiamne constituta a mayo-
ribus præsidia, atque ornamenta Urbis
barbari eriperent? id enimverò agi,
& parari ut, inermes cum fuerint
Ge-

Genuenses, pecudum more jugulentur. Namque erat callidè vulgatum, & temerè creditum, futurum paucis diebus ut omnia ferro, flammâque de-lerentur: & nobiles, qui Minori in-tererant Concilio, sucti antea feve-rissimâ religione occultare arcana Rei-publicæ, nihil jam de Bottæ minis, immanique Austriacorum cupiditate reticebant. Ipse Dux Brignolius in tantâ rerum perturbatione, incredibili animi robore, consiliique præstantiâ neque nimis populari concitationi in-dulgebat, neque satis repugnabat. Venientes enim ad se cujuscumque generis homines, impotentissimumque Austriacorum dominatum, & plebis jam ex dolore insanientis rabiem com-memorantes leniebat magis, quàm coercebat, ne aut coercendo Austria-corum vim approbare videretur, aut inci-

incitando armati exercitus furori po-pulum, totamque Rempublicam ob-jiceret. Simul videbat populares mo-tus, si leves sint, facilè quiescere, si implacabiliùs exarserint, ambiguis verbis multò magis inflammari. Ita-que moderabatur orationi suæ, tem-porique, & Reipublicæ serviebat.

Sed tot publicis, privatisque de-causis ingentem in populo irarum mo-lem tacitè jandiù grassantem inopina-tus repentè casus accendit. Asporta-batur æneum ab Austriacis mortarium, quo uti in bello consuevimus ad ol-las jaciendas incendiarias. Degravata fortè pondere via subsedit, morta-riumque dejectum est. Illi plebem, ut educeret, accire, & repugnantem vi, verberibusque cogere incipiunt. Agebantur hæc in frequentissimâ Ur-bis parte, quæ Porta Auria dicitur, erat-

112 DE BELLO ITALICO,
eratque ingens multitudo, majorque multo rei cognoscendæ studio con-
venerat. Quâ ex frequentia proripit se subito singulari puer audaciâ, &
inceptone opus esset, reliquos inter-
rogans, saxum in milites jecit. Fit magna continuo lapidatio. Dant sese
in fugam malè mulcati milites; qui-
bus fugatis, & clamore sublato, ex-
cipit rursus ex omnibus Urbis parti-
bus clamor. Vocatur ad arma po-
pulus. Tumultuantur; direptâque odio-
gentis Austriacæ tabellariorum Me-
diolanensium domo, ad fores Præto-
rii, in quo erat armamentarium,
catervatim convolant, arma sibi da-
ri postulant, arma clamitant. Habe-
batur eodem tempore Senatus, qui
ferocientis multitudinis fremitu com-
motus, grandes natu cives, quos au-
toritate, & populari gratiâ præstare
cogno-

LIBER TERTIUS. 113
cognoverat, ire statim, plebemque
blandissimè appellando sedare jussit.
Quorum oratione, maximoque coor-
to imbri, plebis paulisper impetus re-
sedit, cum potissimum, nocte in-
gruente, timeretur. Mittitur etiam ab
Senatu Nicolaus Jovius, qui Bottam
commonefaciat; videret, quid ageret,
quò progrediretur: ignoscendum plebi,
quæ militum commota injuriis dolo-
rem suum vehementiori animi con-
tentione persecuta fuerit: tumultum
vix potuisse hesternâ die ab Senatu
comprimi internunciis nobilissimis vi-
ris: plebis patientiam ne ultra, quàm
satis est, tentaret: orare, monere Se-
natum, & denunciare etiam, caveret,
ne res neglecta maximæ denique Au-
striacis fraudi foret. Ad hæc Botta
jam a principio plebem despiciens Ge-
nuensem, neque se temeritate vulgi
P com-

114 DE BELLO ITALICO,
commoveri respondit, neque arbitrari
milites suos, qui gravissima prœlia fe-
cerint, Borboniosque devicerint, fu-
rentis plebeculæ ululatu posse terreri.
Sed nihil in bello oportere contem-
ni ea quoque res docuit, pravoque
esse usum consilio Bottam, qui, di-
missis in diversa hiberna copiis, pau-
cisque apud se relictis cohortibus, de-
spexerit imparatus tot hominum mil-
lia, tantosque sine armis terrores je-
cerit.

Postridie mane minaci vultu, in-
tentisque armis centum Urbem Pyro-
chitrophori ingrediuntur. Horum ad-
ventu redintegratur tumultus. Jaciun-
tur undique lapides, iterumque ad ar-
ma conclamatur. Fugam Pyrochitro-
phori arripiunt. Nacta plebs duces
Bavam, atque Asseretium, audaces ho-
mines, nec infacundos, arreptis, quæ
cuique

LIBER TERTIUS. 115
cuique fors offerebat, armis, addu-
ctisque tormentis vias, quæ ad por-
tam pertinent Thomasianam, occupat
omnes, easque trabibus inductis præ-
sepit, sic parata, (ut videbatur) quid-
vis perpeti, & conari ut mallet,
quàm non se a perpetuâ avarissimo-
rum hostium importunitate liberare.

Austriaci, redintegratis viribus;
acriusque in plebem impetu facto,
eam repellunt, quâ repulsâ, unoque
capto tormento, audaciùs jam cum
parte equitatus sese in viam, quæ ap-
pellatur Balba, effundunt. Sed lapi-
dum, jaculorumque multitudine, quæ
undique ex tectis etiam, ac fenestris
mittebantur, perterriti, rursus ad Tho-
masianam sese portam recipiunt.

Senatus iterum per Legatos suos
liberiùs jam, constantiùsque monere
Bottam, ne incitatis militibus efferat-

tam plebem, armorum suorum gloriam insanienti plebi committeret: progressum præcipitem, regressum inconstantem esse. Ille contra nihil nisi atrox, & sævum cogitare, & loqui: succensere Senatui, contemnere plebem, minari omnibus. Ac spretis Legatorum monitis, quas Novis, quas in Ligusticis oris esse jusserat, confestim sibi copias adduci imperat. Portam firmari Thomasianam, Benigni, quam vocant, munitionem, quæ Pharo imminet, mortariis instrui, itemque eum locum, quò animi causâ Philippei sodales convenire solent, qui in Balbam viam devexus est, duobus communiri tormentis jubet, eo consilio, uti Urbem, ollis jactis incendiariis, telisque e loco superiore dirueret, populumque tormentorum vi, atque Urbis ruinâ perculsum ad deditionem


ditionem compelleret, omniumque ita rerum potiretur. Simul ab Senatu petit, quoniam ipse a plebis consiliis abhorreat, tumultuantem a tergo plebem a militibus concidi Reipublicæ jubeat. Existimabat enim hoc factò aut adversùs Senatum, si repugnaret, causam quærere se posse inimiciæ, aut, si concederet, plebem ancipiti periculo distractam faciliùs opprimere. Summâ Senatorum indignatione excepta est postulatio tam impudens, & constantissimè repudiata: neque enim postulandum ab Senatu, ut civibus vim, & manus afferat, & quasi sanguinem hauriat suum.

Austriaci, cum, multis in tecta dilapsis, infrequentiores excubare populares animadvertissent, concubiâ repente nocte erumpunt, fanum, domumque occupant Equitum Jerosolym-

118 DE BELLO ITALICO,
mitanorum, ibique se communiunt,
quò tutiùs progredientem, averſamque
percellere plebem ſuperiore ex loco
poſſint. Ii verò, qui ex alterâ Urbis
parte ad Biſamnatem vallem in Alba-
renſi ſuburbano confederant, allato de
plebe concitatâ nuncio, portæ Urbis,
quæ Romana dicitur, appropinqua-
bant, quòd neque a militibus Rei-
publicæ pro portâ excubantibus time-
rent, quos utpotè dedititios ſumere ar-
ma adverſùs ſe non arbitrabantur, &
eâ tranſgreſſi, perque ſpatium illud
procedentes, quod inter veterem, no-
vumque murum intercedit, circumire
Urbem, ſuiſque ſeſe ad Pharum ad-
jungere confidebant. Quod cum Al-
barenſes providiſſent, Genuenſium ex-
citati exemplo prodeunt armati, lo-
cum præoccupant, intercluſoſque ho-
ſtes, & diſſipatos diverſas in villas com-

compellunt, atque obſident. Quin
confeſtim irrumperent, Auguſtini Ay-
rolii obſtitit auctoritas, qui Senatus
juſſu iis erat in locis cum imperio.
Hic dubitans, concuſſanſque, neque
gnarus reconditoris Senatus conſilii,
acceptâ fide, nihil Auſtriacos adverſus
Genuenſes tentaturos, illos continebat
a prælio. Sed auditis paulò poſt Al-
barenſes, quæ Genuæ erant acta,
ruſùs in Auſtriacos impetum fece-
runt, iisque, Petri Canevarii Protrib-
mil. legionis Liguſticæ, nobiliſſimi,
fortiſſimique adoleſcentis interventu,
deditioſis uti conditionibus permiſe-
runt, atque Ayrolio irarſci ſimulantes,
quod ſtetiſſe per eum quominùs cæ-
dem Auſtriacorum facerent, videban-
tur, cæterùm prædæ cupidi villam
ejus incenderunt. Deditorum autem in
numero cohors fuit legionis Cailianæ.

At:



At populus audacior jam factus quòd complures nobiles, & militares viros patriæ charitate, atque Austriacorum injuriis permotos sensim in causam descendere, plebeiisque obvolutos penulis consilio, manuque adesse perspiceret, alacer, speique bonæ plenus hostes aggreditur. Botta, cum contra, atque ipse existimaverat, augeri populo animum, numerumque videret, atque ex constantiâ Senatus aliquid subesse gravius suspicaretur, qui nihil primò timuerat, nimum postea timere, suisque diffidere viribus cœpit. Itaque, ut spatium intercedere posset, dum milites, quos evocaverat, convenirent, aliquid interim agere de compositione constituit, Ocheliumque Trib. mil. ad Auriam mittit Melphitanorum Principem, quem populo acceptum, facillimisque moribus cognoverat.

verat. Cum eo ita Ochelius egit: misericordiâ Genuensium commotum imperatorem, quibus extremum jam fatum impendeat, petere a Melphitanorum Principe, ut populum ad interitum ruentem voluntarium pro suâ ipse auctoritate retineat, patriæque consulat universæ. Quibus Auria rebus cognitis Ducem Brignolium extemplo convenit, & quanta sit conciliandarum rerum oblata facultas, ostendit, suumque ad eam rem studium ultrò pollicetur. Dux, etsi rectè intelligeret, quo hæc omnia Bottæ consilia pertinerent, neque sine causâ nobilissimum, atque optimum virum productum existimaret; tamen, ne videretur per se stetisse, quominus componeretur, palam liberaliter Auriam respondit, eumque collaudavit, sui, suorumque Majorum memorem esse

Q jus-

122 DE BELLO ITALICO,
jussit: clam per certos homines, quos
Reipublicæ causâ officiis, largitioni-
busque allegerat, populum monuit,
ne nimum hosti crederet, neve ul-
lam, nisi traditis statim portis, omni-
que de argento exigendo, asportandis-
que tormentis sublatâ mentione, con-
ditionem probaret. Itaque, cum ad
populum Auria, adhibito Augustino
Laumellino, de conditionibus loque-
retur, conclamat omnis multitudo de-
nunciandum Austriacis esse, ut por-
tas confestim traderent, tormenta ne
attingerent, neve ullum unquam am-
plius de argento sermonem inferrent.
His Bottæ mandatis renunciatis, diem
ille ex die ducere, quædam rejicere,
nonnulla accipere, portas verò tradi-
turum se negare; & tamen, ut ma-
nerent induciæ, non dissimulanter pe-
tere. Populus, ubi se diutius duci
intel-

LIBER TERTIUS. 123
intellexit, redire Auriam, Laumelli-
numque, denunciarique Austriacis ju-
bet, si rem conditionibus, quæ es-
sent allatæ, componere velint, ante
horam v. alterius diei sine periculo
licere, post id tempus non fore Po-
testatem. Illi redeunt, iterumque po-
puli mandata exponunt. Victus Botta
consentientis Populi pertinaciâ accipe-
re se ait conditiones, & portam tra-
dere. Agnovit Laumellinus verbum,
veritusque, ne, quod ab Senatu po-
stulaverat, in se Botta recusaret, por-
tamque tradens Thomasianam, al-
teram ad Pharum teneret, non por-
tam, inquit, Imperator, sed portas
tradi sibi Populus postulat. Quo il-
le dicto adeo excanduit, ut Auriam,
Laumellinumque retineri jussit; at-
que aliquot post horas, ne sanctum
ad omnes gentes Legati nomen vio-
lasse

lasse videretur, dimisit. Posteaquam in vulgus hominum elatum est, quâ iracundiâ usus Botta Populi Legatos detinisset, eaque res colloquium ut diremisset, nemini dubium fuit, quin per causam compositionis insidiarentur Austriaci tempori, expellendique essent, priusquam illi sese evocatis subsidiis confirmarent. Tota it ad arma Civitas. Non religio, non sexus, non ætas satis est cuiquam causæ, quarè se domi teneat. Prodeunt armati, seseque invicem adhortantur. Nemo imperat, omnes exequuntur. Rapiuntur e navalibus, mœnibusque tormenta, atque opportunis locis collocantur. Arduus ad eum locum, qui Petraminuta appellatur, & ad viam Balbam pertinet, difficilisque adeo est adscensus, ut expeditus ea homo vix possit reperere. Illuc evestigio

gio bajulorum, puerorumque multitudo, incitato cursu, mortarium advehit æneum maximi ponderis. Tanta vel patriæ charitas, vel puniendi doloris erat cupiditas, aut etiam, quæ permultum valet apud mortales, exempli vis.

Ibì tum Visettius Jesuita, qui antea etiam privatim cum Bottâ egerat quâdam notitiâ productus, quod erat ei cum Bottæ Fratris amicitia, imperatorem convenit, eumque, ne se, ne populum in apertissimum deducat discrimen, monet, atque obsecrat, & de conditionibus loqui incipit. Cujus mediam orationem interrumpunt undique subitò tela immissa. Omnia statim e sacris turribus repulsa æra personant, exceptusque longè, latèque fragor perturbat hostes tanto obtupefactos strepitu,

Acerrimo contenditur prælio. Deturbare Austriacos e fano, domoque Equitum Jerosolymitanorum cum Genuenses jaculis non possent, adactis procul a maritimo propugnaculo telis, fani turrim concutiunt: quâ concussâ, qui ibi sunt Austriaci projicere arma, & deditionem facere coguntur. Botta post Thomasianam portam in areâ, quæ est ante Principis Auriæ domum, equitum, pedumque aciem instrui jubet. Tela accidunt creberrima, superincidentibusque e Petraminutâ ollis incendiariis perturbatur equitatus. Interim, quæ est inter veterem Urbis, novumque murum aditus, instructi prouunt Genuenses, refractâque Thomasiannâ portâ dant reliquis, qui in Urbe erant, erumpendi spatium. Hoc omnibus audacius viis Genuenses succedunt.

dunt. Multi ex Austriacis capiuntur, multi interficiuntur. Ipse, dum in foro Nigriano milites retinere, atque instruere fugientes conatur, Botta impacto ad murum quendam telo, lapideque disjecto leviter in faciem vulneratur; eodemque ictu Comes Castaleo, qui Bottæ aderat, perfosso equo dejectus magnum adierat vitæ periculum. Tum verò popularium multitudine, suorumque cæde perterritus imperator terga vertit, eodemque acti, perturbatique timore permixti cum equitibus pedites Pharam petunt. Genuenses ab summis, novisque mœnibus proximos nati colles horribili & multitudine, & specie descendentes cernebantur. Illi, ne a tergo circumvenirentur, veriti Pharam ipsum, Benignique munitionem relinquunt, seseque ad Arenarium

narium fugientes recipiunt. Ea statim loca Genuenses occupant. Nox appetebat, & totius diei labore, & pugnâ defatigati ab insequendo desistunt. Portas valido præsidio firmanant, & tanto alacres successu in Urbem revertuntur. Unus de plebe homo Joannes Carbo, ut erat a prælio horridus, & cruore oblitus Prætorium ingreditur, atque ad pedes accidens Ducis, portarum traditis clavibus, victoriam ejus dici Duci, Senatuique gratulatus est.

Eodem ferè tempore qui Recci, quique Nervii erant, nonnullique item, qui, ut se Bottæ adjungerent, accelerabant Austriaci novâ re perturbati, interclusique in Genuensium potestatem venerunt. Qui verò a Claverino ad Segestam Tigulliorum litus omne præsidium tenebant, periculum veriti,

veriti, quòd ejus homines oræ Genuensis prælii famâ excitati ad vim, atque ad arma spectabant, discedere properarunt, Sergianumque profecti, Sergianiolum si arcem satis naturâ munitam occupassent, ibi subsistere cogitabant. Sed cum fortiter defenderet Petralba Protrib. mil. de exercitu Genuensi, nullaque illis propter assidua, quæ ex arce adigebantur, tela, suspectumque oppidanorum animum consistendi in oppido facultas, nulla item commeatus, omnibus circa locis infestis, nulla effugii spes esset, pactis, quas Petralba voluit, conditionibus, datisque obsidibus, inde emissi ad Aullam sese, omni dimissâ Liguriâ, contulerunt.

Botta, cum in fugâ a ferocissimis hominibus, qui Porciferam vallem incolunt, opprimi facilè ad angustias.

gustias locorum potuisset, dum alii morantur, & dubitant, quid sit capiendum consilii, alii exitum rerum ignorant, incolumis evasit. Erat eo prætereà usus dolo, ut, antequam rei fama latius manaret, pronuntiari juberet: omnia convenisse; ipsum, factâ cum Genuensibus pace, discedere. Quâ simulatione deceptis, & nonnullâ largitione permulsis rusticorum animis, ipse, relictis agris, abductâ pecuniâ, Ligusticas raptim fauces transcendit, mutilatumque Novas exercitum reduxit. Ita Austriaci, conversis subito rebus, maximam spem, maximamque utilitatem amiserunt, Genuâque pulsî sunt ab iis, quos neque inimicos tollere, neque amicos parare cognoverant.

Finis Partis I. Libri III.